S. CONGREGAZIONE "PRO ECCLESIA ORIENTALI"

Prot. N. 110/1937

PONTIFICALE

IUXTA RITUM

ECCLESIAE SYRORUM OCCIDENTALIUM

ID EST ANTIOCHIAE

PARS II

CONTINENS CHIROTONIAS SACERDOTALES
USQUE AD PATRIARCHATUM INCLUSIVE

(Sec. cod. Vat. syr. 51, f. 49^v-109^v
et cod. Borg. syr. 57, f. 43^r-86^r)

VERSIO LATINA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXLI

S. CONGREGAZIONE "PRO ECCLESIA ORIENTALI"

PONTIFICALE

IUXTA RITUM

ECCLESIAE SYRORUM OCCIDENTALIUM

ID EST ANTIOCHIAE

PARS II

VERSIO LATINA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

S. CONGREGAZIONE " PRO ECCLESIA ORIENTALI "

Prot. N. 110/1937

PONTIFICALE

IUXTA RITUM

ECCLESIAE SYRORUM OCCIDENTALIUM

ID EST ANTIOCHIAE

PARS II

CONTINENS CHIROTONIAS SACERDOTALES
USQUE AD PATRIARCHATUM INCLUSIVE

(Sec. cod. Vat. syr. 51, f. 49v-109v
et cod. Borg. syr. 57, f. 43r-86r)

VERSIO LATINA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXLI

PRAEFATIO

I
Contentum

Fasciculus hic secundus continet *capita viginti unum*, a sexto nempe ad vicesimum sextum inclusive.

Post duplicem admonitionem ad Ordinandos, continentem valde momentosam homologiam, seu professionem fidei iuxta Syros Iacobitas seu Monophysitas (cap. VI-VII),

referuntur primo responsoria ordinum maiorum (VIII),

deinde vero cyclia et cantus ordinum minorum (IX-X).

Sequuntur chirotoniae :

1) cantorum (XI),
2) lectorum XII),
3) hypodiaconorum (XIII),
4) diaconorum (XIV),
5) presbyterorum (XV).

Huic ritui appenduntur speciales orationes pro chirotonia simultanea plurium, et quidem in duplici forma (XVI-XVII).

Prosequuntur chirotoniae :

6) archidiaconi (XVIII),
7) chorepiscopi, aut periodeutae seu visitatoris, abbatis aut abbatissae (XIX).

Hic leguntur ritus benedictionis diaconissae (XX) et reconciliationis haereticorum (XXI).

Prosequuntur chirotoniae:

8) Patriarchae, Metropolitae et Episcopi (XXII).

Adicitur scholion de disciplina arcani (XXIII).

Demum exponitur ritus enthronismi Episcopi (XXIV), cui additur homilia Mar Dionysii bar Ṣalibî in enthronismo Michaelis Magni (XXV).

Totam hanc sectionem, comprehendentem chirotonias sacerdotales, complet symbolica expositio caeremoniarum ordinationum (XXVI).

II

Versiones

Iis quae dicta sunt in fasciculo primo (p. 8-10) de versionibus rituum Pontificalis Syro-Antiocheni hoc unum addendum invenimus.

Homilia nempe Mar Dionysii bar Ṣalibî († 2 nov. 1171) in enthronismo Mar Michaelis Patriarchae (*Borg.* f. 81^r-84^v), a clarm̃o viro Ignatio Guidi exscripta e codice *Vat.* f. 103^r-107^v, syriace et gallice translata edita est a R. D. I.-B. Chabot in *Journal Asiatique* S. X, t. 11 (1908), p. 87-115 sub hoc titulo: *Discours de Jacques (Denys) Bar Ṣalibî à l'intronisation du Patriarche Michel le Syrien.*

III

Animadversiones

1. – *Doctrina.* Iam in *primo* fasciculo invenimus crude expressam haeresim monophysiticam « de unitate naturae et personae in Christo » (p. 48, n. 68). In hoc *secundo* fasciculo autem talis erroris confessio frequentius occurrit. Cum I. Al. Assemani illas allusiones aut suppressit aut castigavit, toties quoties allegabimus in nota eius doctrinalem emendationem. Sub hoc doctrinali respectu duplex homologia, quae initio ante chirotonias legitur, pro historia dogmatum revera est magni momenti, prout cuivis legenti facile apparebit (*Borg.* f. 43^r-51^v).

2. – *Textus.* Prout diximus in primo fasciculo, initio appendicis exhibentis collationem codicum syriacorum (p. 1*), codex *Vat. syr.* 51 (an. 1172) non est facilis lectu ob vetustatem et maxime ob flavam chartam lucidam, qua olim obtecta sunt omnia folia a recto et verso.

Haec vero pars, chirotonias sacerdotales continens, ob frequentiorem usum maiores adhuc difficultates legenti praebet. Quandoque enim folia lacera exhibent lacunas, quas neque Mar Athanasius Saphar (scribendo codicem *Borgianum syr.* 57, an. 1686) complere potuit. Hic etiam frequentiores sunt marginales notae, aliae primitivae, aliae recentiores. At iterum notae istae haud raro vel ex parte vel ex toto evanuerunt, neque a Mar Athanasio Saphar exscriptae sunt. Continent plerumque rubricas; recentiores vero notae nonnumquam complent orationes communes.

Hinc necessarius erit recursus ad codices alios, praecipue nempe pro hac parte continenti chirotonias sacerdotales. Propositum est ergo nostrum, ut ante editionem syriaci textus conferamus cod *Par. syr.* 112 (anni 1239), in quo habentur chirotoniae omnes sacerdotales (1).

3. – *De transcriptis vocibus syriacis.* In primo fasciculo syriacae voces transcriptae sunt iuxta pronuntiationem orientalem, quam solemus sequi utpote conformiorem primitivae linguae arameo-syriacae et magis

(1) Cf. Zotenberg, *Catalogue des manuscrits syriaques et sabéens (mandaïtes) de la Bibliothèque nationale* (Paris, 1874), p. 72-75. — Baumstark, *op. cit.*, p. 299, n. 2.

scientificam, prout concedunt ipsi I. S. Assemani, Maronita (2), et C. I. David atque A. Rahmani, Syri (3). Non ergo methodi vitio, sed indulgentes Syris ritus Antiocheni quibus hic servimus, sequemur deinceps in hac latina versione pronuntiationem occidentalem.

Romae, 25 maii 1941.

I.-M. Vosté, O. P.

---

(2) « Verum pro Orientalibus tota antiquitas clamat, eosque priscum legendi Syriace morem retinere suadent tum voces, quae apud veteres Scriptores Graece et Latine e Syriaco sermone expressae leguntur, ut *Abba, Talitha*...; tum urbium pagorumque nomina in Assyria, Mesopotamia, et Phoenicea, quae Orientalium more usque in praesentem diem pronuntiantur » (*B. O.* III, 2, p. 379).

(3) « Attamen negari nequit Orientalium dialectum, nimirum illam quae vulgo Chaldaica dicitur, esse genuinam ac veriorem linguam Aramaicam, eamque alteri praestare » (*Grammatica Aramaica seu Syriaca*, Mausili 1896, p. 15; cf. praecipue p. 212 sq.).

VI
ADMONITIO AD ORDINANDOS

f. 43r *Item cum ipsam bonitatem, caput perfectionum, et superiorem perfectionibus, et quae ex seipsa perfecta est omnibus perfectionibus perfectis, illam scilicet, quae est non perfecta perficientibus, tamquam sublimior perfectionibus, et antecedens perfectiones, perfectam autem sine perficientibus, tamquam caput perfectionum, in adiutorium nostrum invocamus, acoluthiam omnium Chirotoniarum sacerdotalium et sanctarum ecce scribimus.*

Et primo « *turgomo* » (1), *quem Episcopus legat oportet super illos qui volunt ordinari, dum illi, qui acceperunt periculum eorum, sunt praesentes et audientes.*

Carissimi mei. Omnes illi, qui vocantur a Deo vocatione Spiritus Sancti, ad hoc ut suscipiant donum hoc magnum et caeleste ministerii huius angelici et sacerdotalis, quod desursum descendit a Patre luminum, secundum verbum divinum Iacobi Apostoli (I, 17), debent, o fratres dilecti, mutatione bona et divina commutari, dum transeunt et transferuntur e moribus laxis et operationibus carnalibus, atque deponunt, abstergunt et abiciunt a seipsis omnem vetustatem et rubiginem et foeditatem operum malorum, et emundant se per paenitentiam et novitatem vitae purae et morum excellentium, nihil secum deferentes materiale, id est

---

(1) Id est, verbotenus, « interpretatio », prout hic vertit I. A. Assemani; at, secundum contextum, significatur aeque « homilia, exhortatio, admonitio », hic scilicet « ad ordinandos ». Cf. Denzinger, *Ritus Orientalium* II, p. 100: « ex codice florentino vertit Renaudotius »; at noster textus est magis evolutus.

corruptibile, ex carnalibus ⟨rebus⟩ saeculi huius, hoc est cogitationes iucundas et foedas, atque illecebras concupiscentiae, quae per visum et auditum et olfactum ac gustum tactumque intrantes fortitudinem animae relaxant; sed mundent et abstergant perfecte in omni sollicitudine amoris laborum et amoris utilitatum animas suas et corpora sua ab omni inquinamento carnis et spiritus, perfecti exsistentes omni hora puritate, sanctitate, nitore et timore Dei, ex tota anima sua et ex tota mente sua, atque imitatores Dei facti, quantum possibile est hominibus vilibus et terrenis imitari Deum, ad cuius imaginem et similitudinem creati et conditi sunt, et per cuius sanctas manus honorati sunt.

Potissimum autem cum consistunt nitide in recto ordine et in typo angelorum sanctorum, atque circumdant ipsum Corpus vivum cum timore tamquam ministri Dei et tamquam oeconomi sapientes et detinentes
f. 43v verbum vitae, et induti ipsum | Deum Verbum, Pontificem illum magnum, qui fecit caelum et terram, et fulgentes indumentis divinis atque sacerdotalibus et ornamentis spiritualibus ac gloriosis in similitudine Aaron.

Si enim maculae ministerii illius legalis, cui mactatio vitulae rufae et ⟨sacrificia⟩ agnorum et pecudum concredita erant, non relinquebantur sine examine; quanto magis maculae pretiosi ministerii huius divini, quo non sunt concredita nobis sacrificia animalium mutorum, sed sacrificium Agni Dei qui tollit peccatum mundi, examine magno et discussione multa indigent. Ibi enim, quia umbratile ministrabant, maculas corporis reprobabant; hic autem, quia spirituale est ministerium, maculas animae expellit. Ferens Moyses legem de electione sacerdotum, dicebat sic: « Omnis vir, in quo est macula, non accedat ad altare » (2). Et Christus dicit: « Omnis qui vult fieri sacerdos, probet ipse

(2) Cf. v. gr. *Lev.* XX, 1-XXI, 16.

se, et emundet animam suam ab omnibus maculis occultis ». Moyses dicit: « Vir claudus non intret in congregationem Domini ». Et doctrina Christi docet: « Qui claudicat in cursu virtutum, non accedat, neque introeat ad sacerdotio fungendum ». Moyses scripsit: « Ille qui caecus est, non ministret in tabernaculo testimonii ». Et Dominus noster, Dominus Moysis, docet: « Ille qui est caecus visu animae, non potest videre mysteria sancta ». Moyses praedicabat: « Ille qui est simus, non ministret ». Et Christus dicit: « Ille, cuius odoratus apertus est ad odores qui passiones excitant, foris maneat ». Moyses scribebat: « Ille qui est mutilatus aure, removeatur a sacrificio ». Et Christus notum facit: « Ille cuius auditus non capit doctrinas divinas, elongetur a sacerdotio ». Filius Amram (3) legem posuit: « Ille cuius manus fracta est, non ministret in domo tabernaculi temporis ». Et Filius Patris, qui factus est filius hominis ex Virgine docet: « Ille, cuius manus vacua est et fracta a misericordia, sacerdotio non fungatur in ecclesia ». Moyses, minister legis veteris, dicebat: « Ille qui statura pusillus est, non vocetur ad sacerdotium ». Et Christus, dominus legis, praecepit: « Ille, cuius anima parva est et indoles eius angusta, non stet in ordine sacerdotum ». Moyses dicit: « Ille, | f. 44r
cuius supercilia deciderunt, reprobetur a ministerio ». Et Christus admonet: « Ille, cuius intuitus non habet velamen, sed considerat pulchritudines alienas, non ministret ». Moyses item dicebat: « Leprosus exeat e synagoga ». Et Christus docet: « Ille, qui anima leprosus est, et lepra peccati mortuus fuerit, non calcet atria sacerdotalia ». Moyses expulit illum, qui scabiosus erat. Et Christus abigit illum, qui sordibus parvis foedatus est tamquam scabie. Moyses autem et gibbosum a tabernaculo alienum decernit. Et Christus Deus removet ab altari suo illum, qui fert tamquam gibbum

(3) Id est: Moyses; cf. *Ex.* VI, 20.

onus sollicitudinum et mammonam occidentem. Moyses illum qui esset unius testiculi, non sinebat ministrare. Et Christus illum, qui plenus est maculis occultis, et foris ornatus est, non vult ut ministret coram ipso. Moyses paralyticum non admittebat. Et Christus illum, cuius manus paralysi laborant in exercitio virtutum, non admittit.

Debemus itaque, carissimi, intellegere omnia haec legalia propter mysterium ⟨*seu* figuram⟩ horum verorum praescripta esse. Et nunc cum venit veritas pro umbra, et typus, qui propter corpus positus est, cessavit, debent illi qui accedunt ad hoc divinum ministerium, diligenter et pure ministrare, et non neglegenter et cum contemptu prospicere in sanctum sanctorum, et scire atque semper recordari occulta ipsorum scrutari et cogitationes eorum intueri Deum, quia « scrutator cordis et renum » est, prout scriptum est (4). « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, dicit propheta, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini omnipotentis est » (5). Propterea debet cum moribus angelicis accedere, quicumque accessurus est ad aliquem ex gradibus sacerdotii. Et quemadmodum angeli sancti custodiunt mandata Dei et « faciunt voluntatem eius », uti scriptum est (6), ita debent sacerdotes et diaconi et reliqui sacerdotum ac pontifices custodire et implere voluntatem Summi Pontificis confessionis nostrae Iesu Christi; quoniam loco lampadum positi sunt in Ecclesia, ut dispellant per lumen doctrinae suae tenebras ignorantiae ab animabus fidelium, et dirigant per mores suos totum populum, qui in ipsos respicit et eosdem imitatur, et benedicatur ac glorificetur Deus propter
f. 44v illos, sicut scriptum est (7). Beatus ille | servus, per

(4) *Ps.* VII, 9; cf. *Apoc.* II, 23.
(5) *Mal.* II, 7.
(6) *Ps.* CIII, 21.
(7) Cf. *Matth.* V, 16.

quem glorificatur nomen domini ipsius; ipsi namque dicetur: « Euge serve bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui » (8). Quod si infideles (9) appareant et indigni vocatione ad quam vocati sunt, audient illud servorum nequam et neglegentium, et pro beatitudine « vae » recipient, et pro gaudio in thalamo fletum et stridorem dentium hereditabunt (10). Idcirco et per Ezechielem quoque praedocuit Spiritus sanctus, dicens: Sacerdos in locum (speculatoris) (11) positus est, ut vocet cornu et praenuntiet angustias futuras, et propterea non est illi ut effugiat iudicium, si vel una anima pereat ipsius neglegentia (12). Itaque sacerdos habeat oportet oculos lucidos et scientiam probatam, ut non solum defectus suos proprios, id est suae personae, probet, et dirigat hoc ut multis ⟨prosit⟩ ex iis qui sub capite glorioso ⟨militant⟩; sed etiam ignorantias aliorum probet et corrigat illustratione intellectus sui, sitque expertus in rebus saeculi, ut eas contemnat magis quam illi qui in eis conversantur, et remotus sit opere ab eis, tamquam illi qui in verticibus montium commorantur.

Debet etiam habere verbum valde sanum in doctrina ad omnem poscentem ab eo apologiam (13); ne infirmitate (14) scientiae eius pusillitas fidei reputetur; sitque sermone et operibus praestantior omnibus suis inferioribus, uti lux prae tenebris et sicut sol prae

(8) *Matth.* XXV, 21-23.
(9) Syriace deest ܠܐ ante ܡܗܝܡܢܐ (f. 44v, l. 3).
(10) *Matth.* XXV, 30.
(11) Syriace, in cod. B., habetur lacuna, implenda secundum *Ezech.* III, 17 voce ܕܘܩܐ (*speculator*), cuius duae ultimae litterae supersunt in codice Vat. syr. 51.
(12) Cf. *Ezech.* III, 17-21.
(13) Cf. I *Petri* III, 15.
(14) Forsitan syriace legendum est ܡܚܝܠܘܬܐ, omisso ܒ praefixo: « Ne infirmitas etc. »

stellis. Indiget porro et multa misericordia, quae ipsa est similitudo Dei; et ut in seipsum suscipiat passiones et angustias omnium illorum qui ei subduntur, tamquam is cuius proprii sunt. Potestas magna concredita est ei, et puritate magna eget. « Quaecumque, inquit, alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis » (15). Virtutibus caelestibus hoc minsterium creditum non est, quia sunt spiritus administratorii, qui in ministerium eorum, qui hereditabunt vitam, mittuntur (16). Sacerdotium autem cum in terra administratur, in caelo est eius gradus et potestas. Porro nec aurum nec argentum concreditum est sacerdoti, neque dispensatio rerum transitoriarum et materialium; sed corpus Christi et animae Christianorum ⟨ei commissae
f. 45r sunt⟩. Ecclesia enim | corpus est Christi, ut dixit Paulus (17), et omnes nos membra sumus alter alterius (18), et caput omnium nostrum Christus (19). Itaque sapientia vera necessaria est sacerdoti, ut per eam gubernet corpus Christi, et in Spiritu coniungat per eam membra eius, ut non incidat in magnum periculum, dum membra Christi amputat, atque perdit per suam neglegentiam.

Si enim illi, quibus commendatur principatus et custodia civitatum, non fuerint sapientes, diligentes et cauti, perdunt semetipsos et civitates suas; quanto magis ille, cui sacerdotium commissum est, sapientia et moribus rectis eget.

Et propterea debet sacerdos esse purus, tamquam is qui sursum in caelo stat cum virtutibus supernis. Illis enim qui in terra sunt et in ea conversantur, res caelestes administrandae concreditae sunt; et potestatem ac-

(15) *Matth.* XVIII, 18.
(16) Cf. *Hebr.* I, 14.
(17) *Eph.* I, 23.
(18) *Rom.* XII, 5; *Eph.* IV, 25.
(19) *Eph.* V, 23; *Col.* I, 18.

ceperunt, qualem neque angelis neque archangelis dedit Deus; non enim istis dictum est: « Quodcumque solveritis in terra, erit solutum in caelo; et quod ligaveritis, erit ⟨ligatum⟩ in caelo » (20). Habent quidem iudices huius mundi potestatem ligandi; at corpus solum ligant. Haec autem ligatio sacerdotum ipsam animam constringit, et transit ad caelum; et quodcumque ligaverint hic subtus, Deus sursum confirmat. Dixit quippe: « Cuius remiseritis peccata sua, remittentur ei; et cuius retinueritis, retenta sunt » (21). Propterea debet sacerdos pervigil esse, et tamquam luminare in omnem locum convertere intuitum suum intellectualem, tamquam qui possidet oculos multos non solum sibi ipsi, sed et pluribus quoque. Debet praeterea undique armatus esse quasi lapide adamantino, cum sit diligens, vigil et cautus ex omnibus lateribus suis, ne reperiatur in ipso locus denudatus, et mortis percussione feriatur. Porro sacerdotis anima fulgeat oportet magis quam radii solis, nequando illum deserat Spiritus Sanctus, sitque sine adiutorio, possit vero dicere illud: « Vivo ego, ⟨iam⟩ non ego, vivit in me Christus » (22).

Quando Spiritum invocat, et ministrat illud sacrificium tremendum, et accedit per ipsum ad Dominum omnium creaturarum, recogitet quanta puritate egeat, et quanta sanctitas exigatur ab eo. Cogitate quales manus debeant esse | illis, qui hoc ministerium admini- f. 45v
strant; et qualis lingua iis, qui haec verba eloquuntur, et quantum debeat esse pura anima, quae tanta gratia Spiritus digna facta est. Angeli enim in illo instanti ad latus sacerdotis stant, et caelestibus ⟨spiritibus⟩ repletur totum altare; moventur etenim et descendunt ad honorem Domini sui. Quemadmodum multi ex viris di-

(20) *Matth.* XVIII, 18.
(21) *Ioan.* XX, 23.
(22) *Gal.* II, 20.

vinis et videntibus Spiritum narraverunt, se vidisse in instanti sacrificii sancti de repente plures angelos amictos stolis fulgentibus et circumdantes mensam sanctam, et inclinantes capita sua in terram. Propter hoc : « Vos estis lux mundi » (23) et : « Vos estis sal terrae » (24), dixit Dominus noster sacerdotibus ; et « Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ad nihil prodest, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus » (25). Et si sal, quod praeservativum est eorum quae sale condiuntur, putrescit, illi itaque qui per ipsum custodiebantur a corruptione, ad quid ⟨utiles⟩ remanebunt? Propter hoc praecipit Apostolus Paulus et dicit : « Sacerdotem oportet esse purum et irreprehensibilem, sicut Dei dispensatorem, non se gubernet mente animae suae ⟨*i. e.* non sit superbus⟩, non sit iracundus, non sit potator vini multi, neque sit currens ⟨*i. e.* prompta⟩ manus eius ad percutiendum, et non sit amator lucri immundi mercaturarum ; verum sit diligens hospites et pauperes, sitque castus, et sit iustus, et sit venerandus in moribus suis, seque continens ab omnibus desideriis malis » (26).

Ergo, carissimi nostri, omnis homo qui in ordine sacerdotum sanctorum ordinatur, et non servat depositum sibi a Deo commissum, iuste ad eum dicit Deus : « Quemadmodum tu reprobasti scientiam meam et contempsisti mysteria mea, ego quoque reprobabo te et removebo te a sacerdotio sancto ».

Propter hoc, carissimi mei, cavete, cavete, et iterum dico, cavete, et ministrate ministerium Dei cum omni puritate et sanctitate, et ne declinetis ad dexteram aut sinistram a via regia. Sciat unusquisque vestrum ad quem gradum accedat, et seipsum consideret,

(23) *Matth.* V, 14.
(24) *Ibid.* 13.
(25) *Ibid.* 13.
(26) *Tit.* I, 7-8; cf. II, 2.

ne sibi in condemnationem fiat ministerium hoc, quod accedens suscepturus est a Christo Deo nostro. Et vos omnes, presbyteri et diaconi et quotquot in clero sancto iamdiu estis, rememoramini quod debetis, secundum definitiones et canones Apostoli Pauli omniumque sodalium eius, esse omni hora irreprehensibiles omnimode, et tenentes mysterium fidei cum conscientia pura, « et curam gerere de doctrina | timoris Dei, ut possitis con- f. 46r
solari ⟨*seu* exhortari⟩ in doctrina vestra sana, et corripere illos qui altercantur » (27), in omni re exemplum bonum exhibentes. Ne accipiatis foenora (28), neque detis ad usuras, neque detis fideiussiones, neque fidem iubeatis pro aliquo. Ne sitis dediti ebrietati neque fornicationi ; utraque enim valde abominabilis est Deo, eumque ad iram provocat. Ne adhibeatis mendacium, neque ⟨committatis⟩ furtum. Et quisque gradus vestrum illi, qui praestantior ipso est, debitum honorem persolvat, et impleat proprium ministerium sine macula. Doni magni curam agite, ne peccetis, neque contristetis Spiritum Dei in quo signati estis in salutem (29), neque amittatis fiduciam cui servata est merces multa. Ne communicetis festis Ethnicorum et Iudaeorum, neque auguriis, neque divinationibus, neque veneficiis, neque iis quae dicuntur sortilegia : reprobati ⟨siquidem⟩ sunt a lege divina illi qui haec agunt.

Vos autem, sacerdotes Domini, debetis pure stare coram altari sancto, dum offertis sacrificia et munera spiritualia, dum baptizatis, dum illuminatis populum Domini doctrina divina.

Similiter et vos, diaconi, debetis esse simili modo puri, et non sitis dediti multo vino, neque loquamini bis, et non ametis turpia lucra, sed apprehendite ver-

(27) *Tit.* I, 9.
(28) Nota marginalis in cod. Vat. f. 53v, quae evanuit, neque exscripta est in cod. B.
(29) *Eph.* IV, 30.

bum fidei cum conscientia pura (30). Diaconus sit ille qui unam uxorem habuit, et gubernavit filios suos recte ; illi enim qui recte se gerunt, gradum bonum sibi acquirunt et fiduciam multam in fide Iesu Christi (31).

Debetis itaque omnes sancte administrare sanctificationes divinas ; et in omni re quam agitis, in verbo et opere ceu in laudem Dei et aedificationem Ecclesiae sitis agentes in specie bona et ordinatione spirituali.

In instanti autem suavitatum, cum thuribulum circumducunt diaconi, verecundi ac modesti intuitu sint oportet. Orarium porro quod est super humerum diaconi, typus est alarum ignearum et virtutum caelestium. Propterea sapienter ista peragentes, profectus sprituales inde animabus vestris duplicabitis, et Ecclesiam Dei ornabitis per pulchritudinem operationis vestrae, et speculum bonum fidelibus eritis ; capitibus
f. 46v etiam vestris coronas | bonorum praeparabitis.

Vos ergo, carissimi, qui iam petitis praesentari ad gradum hunc sanctum, cum modo iam audistis, quantum periculum instet illis, qui cum neglegentia accedunt, cavete, ne postmodum relaxemini, et blasphemetur nomen Dei propter vos, et animas vestras condemnetis, atque animas fidelium, potissimum et vilitatem meam, nam per manus meas ecce admovemini ad gradum sublimem sacerdotii.

Obsecramus autem Dominum, Dominum charismatum et donorum spiritualium, ut cum audieritis admonitiones hasce caute et perfecte custodiatis et faciatis voluntatem Dei ; et ipse dabit vobis per gratiam suam, ut suscipiatis donum hoc magnum et sublime, et cum fiducia commendetis ipsum hoc donum caeleste in diem novissimum cum sacerdotibus et diaconis, qui fecerunt voluntatem Dei. Amen.

Sed et cum his omnibus, carissimi mei, debetis, sic-

(30) I *Tim.* III, 8-9.

(31) *Ibid.* 12-13.

ut est in corde, ita et lingua clamare in hoc instanti et confiteri nobiscum unum Deum Patrem omnipotentem, et unum Dominum Iesum Christum Deum qui est super omnia, et unum Spiritum Sanctum Deum ex quo omnia, Trinitatem sanctam et consubstantialem ; unam vero substantiam, quae in tribus proprietatibus immobilibus : innascibilitatis ac generationis et processionis intellegitur ; neque est una persona, uti dixit Sabellius (32) ; et non est in ea alietas substantiae, uti dicunt Tritheitae (33) ; neque anterioritas et tempus, iuxta delirium Eunomianorum (34) ; et non creatum, ut dixit Arius (35) ; neque altitudo et inferioritas, secundum amentiam Apollinaris (36) ; sed et conglorificata, coaeterna et conregnatrix, una Deitas, una dominatio, una efficientia, una virtus, una voluntas, unus honor.

(32) Sabellianismus in Oriente, perinde ac Patripassionismus in Occidente, haud distinguebat Patrem a Filio, neque ceu reales habebat tres relationes personales Sanctissimae Trinitatis, sed tantum ceu unius Dei modales differentias vel designationes verbales. Quae haeresis adhuc vocatur Monarchianismus. Cf. Smith-Wace, *Dictionary of christian Biography*, IV, p. 567-579 ; *Dict. Th. cath.*, X, col. 2193-2209.

(33) Opposita praecedenti haeresis, quae in Deo trino multiplicat reales substantias distinctas. Cf. *B. O.* II, p. 327-329 ; Smith-Wace, *op. cit.*, IV, p. 1054.

(34) Natum Filium, eo ipso quod erat natus, Eunomius affirmabat posteriorem Patre ingenito. At Filius immediate factus est a Patre, qui eidem contulit potentiam creatricem : quo sensu est unicus Filius et quidem omnium Dominus. Cf. *Dict. Th. cath.*, V, col. 1505-1506.

(35) Arius habebat Filium ut creatum, minime Deo Patri consubstantialem, sed ob merita sua factum Dei filium, denominatione extrinseca vel adoptione. Cf. *ibid.* I, col. 1786.

(36) Apollinaris, Ario oppositus, denegabat Christo completam naturam humanam, seu animam vel spiritum rationalem, cuius locum tenebat Logos-Deus. Cf. *ibid.* col. 1506 ; Smith-Wace, I, p. 134. — Unde non apparet sensus textus nostri relati ad illius haeresiarchae doctrinam.

Ex qua ipsa hac essentia sublimi una e Personis eiusdem, ipse Deus Verbum, per voluntatem suam et Patris sui ac Spiritus sui Sancti (36bis), descendit de caelis, et incarnatus est ex Virgine sancta Genetrice Dei Maria, ⟨assumpta⟩ carne filia naturae nostrae ⟨*seu* eiusdem naturae nostrae⟩, quae animata fuit anima rationali viva et intellectiva, cum non fuerit antea efformatum templum et deinde recubuerit Verbum, uti dicunt sectatores Diodori (37); et non sustinuit mutationem et commixtionem, uti existimarunt Eutyches et Iulianus (38); neque supplevit deitas locum animae et
f. 47r mentis, | ut dixit Apollinaris (39); neque de caelo deduxit corpus, ut dixit Valentinus et Bardesanes (40); neque ex operibus suis iustificatus est et tunc habitavit in eo Deus, secundum opinionem Pauli Samosateni (41); neque sunt duo post unionem, uti praedicavit synodus illa Chalcedonensis (42); sed est unus Filius, unus Dominus, unus Christus, una Persona, una natura Dei in-

(36bis) Cf. supra p. 102, n. 8.

(37) Diodorus Tarsensis, Theodori Mopsuesteni magister, habetur ut antecessor doctrinae nestorianae, quae in his exprimitur.

(38) Hi quidem locum dederunt monophysismo; damnantur tamen a Iacobitis monophysitis, quia stricte loquendo Monophysitae dicuntur qui concilio chalcedonensi adversantur. Circa Eutychen et Iulianum Halicarnasseum, cf. *opera citata*.

(39) En accurate expressa Apollinaris doctrina, quam supra compendio exposuimus (*nota* 36); dum ibi, in textu, de errore trinitario agebatur, corrupto forsitan nomine haeresiarchae.

(40) Valentinus gnosticus secundi saeculi; Smith-Wace, IV, p. 1076-1099. Bardesanes natus Edessae 11 Iulii 154; *Dict. Th. cath.*, II, col. 391.

(41) Episcopus antiochenus creatus an. 260 et haeresiarcha. Cf. *Dict. Th. cath.*, XII, col. 46-51.

(42) Haec est quarta synodus oecumenica, quae locum habuit an. 451. Confitetur Iesum Christum « perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum », cui confessioni opponuntur monophysitae haeretici. Cf. *Dict. Th. cath.*, II, col. 2190-2208.

carnata ⟨*sive* incarnati⟩ (43), qui passus est pro nobis in carne, et resurrexit in carne, et ascendit in caelum in carne, et venturus est de caelo in carne ad iudicandos vivos et mortuos, quemadmodum praedicaverunt nobis duodecim Apostoli sancti et septuaginta discipuli eorum annuntiatores.

Et suscipite nobiscum confessionem fidei orthodoxae illam, quam praedicavit synodus CCCXVIII Patrum sanctorum, qui congregati sunt in urbe Nicea Bithyniae in diebus Constantini regis fidelis, et anathematizavit Arium ⟨an. 325⟩.

Suscipite etiam illam CL ⟨Patrum⟩, quae Constantinopoli congregata est diebus Theodosii regis victoris adversus Macedonium illum adversarium Spiritus Sancti, qui hanc fidem confirmavit et custodivit ⟨an. 381⟩.

Praeterea etiam synodum, quae Ephesi urbe congregata fuit diebus Theodosii iunioris, et deiecit Nestorium illum iniquum ⟨an. 431⟩, cuius praesides fuerunt Caelestinus romanus et Cyrillus alexandrinus; et post illos Dioscorus et socii eius (44).

Et hos cognoscite Patres et Doctores sanctos omnes qui ante has tres (45) Synodos, et illos qui in ipsis Synodis, et eos qui post illos custodierunt hanc fidem, et decertarunt pro ea a tempore Apostolorum sancto-

(43) Haeresis monophysita his verbis docetur: Verbum enim, Deus verus, incarnatione factus est etiam verus homo; ergo una Persona in duabus naturis. I. Al. Assemani emendavit ita haereticum textum, mutatis verbis: « neque sunt duo... » hucusque, in sequentia: « neque sunt duae personae, sed est unus Filius, unus Dominus, unus Christus, una Persona, duae naturae Dei, qui carnem assumpsit... ».

(44) I. Al. Assemani omittit: « et post... »; addit vero statim post: « Cael. Romanus et Cyr. Alexandrinus » sequentia: « Et suscipientes etiam synodum quae in urbe Chalcedone sub Marciano imperatore congregata fuit adversus Eutychen (an. 451), et alias oecumenicas synodos posteriores ».

(45) Corrigit I. Al. Assemani scribens: « quattuor ».

rum usque in hodiernum diem. Nominatim vero et speciatim Iacobum (46) episcopum Hierusalem et Apostolum et martyrem, Linum (47) romanum, Anacletum romanum, Clementem romanum, Timotheum Ephesi, Titum Cretae, Ignatium Antiochiae, Polycarpum Smyrnae, Dionysium Athenarum, Hippolytum romanum (48), Petrum alexandrinum, Alexandrum alexandrinum, Achillem alexandrinum, Gregorium Neocesareae, Athanasium Alexandriae (49), Basilium Caesareae, Gregorium Nazianzi, Gregorium Nyssae, f. 47v Meletium antiochenum, | Dionysium alexandrinum, Eusthatium Antiochiae, Nectarium Constantinopolis, Arsacium Constantinopolis (50), Ioannem Constantinopolis, Theophilum Alexandriae, Timotheum Alexandriae (51), Amphilochium Iconii, Cyprianum Carthaginis, Cyrillum Alexandriae, Proclum Constantinopolis, Dioscorum Alexandriae (52), Epiphanium Cypri, Theodotum Ancyrae, Alexandrum Constantinopolis, Ireneum Lugduni, Methodium Olympi, Severum Antiochiae, Philoxenum Mabugi ⟨*i. e.* Hierapoleos⟩, Anthimum Constantinopolis, Theodosium Alexandriae, Athanasium Antiochiae, et Iacobum Patriarcham, et Iacobum ⟨Baradaeum Episcopum⟩ Pesiltae, et Petrum Patriarcham Antiochiae et Petrum Antiochiae (53),

---

(46) Cf. St. Ev. et I. Sim. ASSEMANI, *Codices Syriaci*, II, p. 317.

(47) In codice Vat. legitur mendo ܢܝܠܘܣ: *Nilum* (f. 55v, l. 7 ab imo); in cod. B prima littera rasa.

(48) Post « Hippol. romanum », RENAUDOT addit: « Iulium, Anatolium Romae » (DENZINGER, *op. cit.*, II, p. 104, l. 6-7).

(49) RENAUDOT omittit: « Athanasium Alexandriae » (cf. *ibid.*, l. 8).

(50) Item om.: « Arsacium Constantinopolis » (cf. l. 10).

(51) Nomen omissum ab ASSEMANI, fortuito forsitan per haplographiam.

(52) Nomen omissum ab ASSEMANI, qui ipse probabiliter idem nomen et alia omittenda rasit in codice syriaco Borgiano.

(53) Omnia nomina inde a « Severo » inclusive (l. 17) omissa sunt ab ASSEMANI, sed relata in appendice omisso ultimo « et Petro Antiochiae »; huius loco scribit RENAUDOT: « et Petrum, Iulianum, Theodorum » deinde: « Ephrem ».

Iulianum Antiochiae, Theodorum Antiochiae, Ephrem Doctorem, Isaac Doctorem, Iacobum Batnarum Sarugi, Iacobum Edessenum, Mar Barsumam anachoretam Senae (54). Hos requirimus ut sequamini et amplectamini, ac doctrinas illorum puras et probatas diligatis et complectamini, et quidquid fecerunt in Ecclesia sancta Dei a principio suo et usque ad consummationem vitae suae, sive per canones, sive per scripta, sive per decretum, sive per anathema.

Cum his suscipite Dominum *talem* Patriarcham sedis huius Antiochiae, et Dominum *talem* Aegypti (55), qui hodie stant in capite ecclesiarum fidelium, et omnes Episcopos sodales eorum (56), et nostram quoque exiguitatem, dum omne id, quod confitemur et recipimus nos, confiteamini et recipiatis vos.

Et respondent illi qui ordinantur ac dicunt: Recipimus.

Episcopus (57) *adiungit, dicens:* Omne id, quod reprobamus, damnamus, anathematizamus, reprobate.

Et dicunt illi: Damnamus et anathematizamus.

Episcopus dicit: Anathematizate etiam Doctores impietatis et erroneas illorum doctrinas, Ethnicos et Iudaeos, et omnes haereticos, nominatim vero et speciatim Simonem magum (58), Elymam, Menandrum, Sa-

---

(54) Inde a « Iacobum Batnarum » incl. omittuntur omnia ab ASSEMANI, qui illa refert in appendice, ubi ultimum vertit: « Barsumam religiosum *pacis* ». At syriace minime legitur ܫܝܢܐ (*pax*), sed [illegible] Cf. *B. O.*, II, p. 1-10.

(55) « Dominum *talem* Aegypti » omittit ASSEMANI, observans in appendice Iacobitas Syros communionem cum illo habere.

(56) ASSEMANI vertit verbotenus: « filios communionis » eorum.

(57) Sequentia anathemata, cum elencho haeresiarcharum, omissa sunt a RENAUDOT.

(58) Elenchi haereticorum omnes, indirecte saltem, originem

turninum, Porphyrium, Basilidem, Hymeneum, Alexandrum, Carpocratem, Ebionem, Barbor (59), Symmachum, Photinum, Manetem, Marcionem, Origenem, Novatum, | f. 48v Valentinum Bardesanem, Marcellum, Eunomium (60), Macedonium, Apollinarem, Arium (61), Eudoxium, Paulum Samosatenum, Andream Samosatenum, Eusebium Nicomediae, Theogenem, Marim Chalcedonensem, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodoretum, Ibam Edessenum (62), Alexandrum Mabugi, Irenaeum bigamum, Cyrum et Ioannem Aegeatas (63), Barsumam Persam cum canonibus eius impuris et immundis, Dorotheum civitatis Marciani qui ausus est damnare omnes vocantes Virginem ⟨Mariam⟩ Genetricem Dei ; et synodum perversam Chalcedonis et tomum impium Leonis et ipsum Leonem, et omnes qui confessi fuerint aut confitentur duas naturas illi uni Domino nostro Iesu Christo, aut in duabus naturis aut duabus substantiis communibus aut propriis et proprietates atque operationes earum post unionem ineffabilem quae superat intellectum (64). Anathematizate et Eutychen iniquum, et Iulianum Halicarnasseum, et Zabed illum immundum, et eorum doctrinas senilibus fabulis et somniis ⟨refertas⟩, quae negant totam dispensationem Dei Verbi pro nobis (65). Anathematizate

---

ducunt ab Ireneo, quem secutus est et ampliavit Epiphanius. Cf. *Codices syriaci*, II, p. 317.

(59) Codex Borg. syr. mendose : « Karbor ».

(60) Corrige codicem : « Eumeneum ».

(61) Additur secundum *Cod. Syr., l. cit.*; partim evanuit in codice *Vat. syr.*, omissum vero in codice *Borg. syr.*

(62) I. Al. Assemani omittit : « Theod. et Ibam ».

(63) Seu de Aegaea Ciliciae ; cf. *B. O.*, II, Dissertatio de Monophysitis ad « Hegon seu Eges ».

(64) Inde a « et syn. perv. Chalcedonis... » (l. 13) om. ab Assemani, relatum in appendice.

(65) In margine nota legitur manu Saphar scripta syro charactere arabica lingua : « Scias, Frater Lector, quod ego humilis,

etiam illos qui Deos et Deitates, aut substantias aut naturas aequales sive contrarias, numerabiles sive innumerabiles confitentur in ipsa Trinitate sancta et increata ac consubstantiali ; et quicumque non confitetur unum Deum verbo et opere, hoc est vere et effective, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ; et omnem qui ponit tamquam unam rem ⟨*vel* simul⟩ impie et indocte proprietates Personarum constitutivas, innascibilitatem, inquam, et generationem, et processionem, nomina et praedicata et Personas, ipsas Personas adorandas et sanctas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Et illos qui dicunt, in alietate generis cogitationis esse Deitatem communem, quae a christianis adoratur. Et illos qui dicunt totam Trinitatem esse incarnatam ; et Messalianos impuros atque opinionem eorum diabolicam (66) ; et Ioannem, et Ioannem, et Nephalium Grammaticum (67), et Damianum Alexandriae (68), et Stephanum Barsudaili (69) ; et illos qui dicunt Dominum nostrum et Deum nostrum ignoravisse diem novissimum aut quidquid aliud ex illis, | f. 48v quae conveniunt Deo aliquo modo ; et illos qui dicunt quod non custoditur diversitas et notio naturalis naturarum, ex quibus Chri-

---

qui hunc librum exaravi, illum scripsi, uti erat in exemplari antiquo (*Vat. syr.* 51), et id iussu Secretarii Congregationis. Ne itaque scandalum patiaris ex eo quod Anathema dicatur his Patribus Sanctis et venerabilibus. Voluerunt enim, ut manerent hae haereses reservatae ad tempus in Archivio seu Bibliotheca Congregationis ».

(66) *Messaliani* (ab aramaica voce significante : *orantes*), nomine graeco *Euchitae* dicti, erant falsi mystici, qui protendebant ad impassibilitatem, in qua dicebant se Deum corporeis oculis videre, confundentes tres personas Sanctissimae Trinitatis in unum Spiritum Sanctum. Cf. *Dict. Th. cath.*, V, col. 1454-1465 ; praecipue col. 1461.

(67) « Et Ioan. et Nept. » om. Assemani. — Circa Nephalium Eutychianum, cf. Smith-Wace, IV, p. 23.

(68) Cf. *ibid.*, I, p. 784[b] (4) et p. 667[a] : Damianus, patriarcha Alexandriae A. D. 570.

(69) Cf. *ibid.*, p. 741 (**34**), et *B. O.*, I, p. 303 (**4**).

stus post unionem extra omnem dualitatem et scissionem ac divisionem (70).

Cum haec omnia confitentur nobiscum, adiungit Episcopus ac dicit eis: Et facite crucem in charta, quod fidem hanc, in qua en facti estis sacerdotes, non mutabitis, et quod sacerdotii opus purum per vos haud infamabitur; quod si contra acciderit, Deus iudicabit vos in die vindictae. Ego enim ecce commodo manus meas Spiritui Sancto, quia sum mediator horum; ipse autem Deus liberet nos a condemnatione vestra, si quidem vel unam rem ex praedictis audacter solveritis; quia ego en admoveo vos ad gradum hunc, ut sitis placatores Dei, et non ut sitis iniqui aut contentiosi aut irritatores Dei ullo modo. Hoc itaque instanti tremendo ipsum Deum et angelos eius sanctos et homines, qui claruerunt in mundo hoc, testes ecce constituo inter me et vos, ita ut si quidpiam mutaveritis ex his quae en commendo vobis, vacui sitis ab omni hoc mysterio sancto. Sciatis propterea, quod in die illo, in quo seminaveritis doctrinam alienam, aut secuti fueritis alienos, aut contempseritis Ecclesiam Dei, aut insurrexeritis adversus unam ex synodis sanctis, aut dederitis manum auxilii perturbatoribus, aut steteritis adversus unum ex Episcopis fratribus nostris, aut adversus tenuitatem nostram, amputati eritis vos et anathematizati quoque ac reprobati a tota Ecclesia Dei, nec vobis quidquam erit ex hoc munere, sed totaliter eritis vos tunc alieni ab Ecclesia Dei, vos et quicumque adiuverit vos in malo. Quoniam ecce co-

(70) Verba inde « ex quibus Christus... », quae redolent haeresim, ita emendantur ab I. AL. ASSEMANI: « in quibus Christus in una Persona substitit divina ». — « Quibus in margine additur Sergius Armenus, ita *Codices Syriaci*, II, p. 317 sq., notatumque ibidem reperias, tres fuisse Sergios: 1. Phantasiastem Procopii aequalem; 2. Ioannis Tritheitae parem, cuius Petrus Patriarcha meminit; 3. Armenum militiae ducem; quos, veluti haereticos Iacobitae reiciunt ». Haec vero nota non legitur in codice *Borg.*; et in cod. *Vat.* partim evanuit.

ram Deo adiuro vos, custodite canones apostolicos et homologiam ⟨*seu* fidei confessionem⟩ hanc, quam ecce trado vobis; et intellegite hoc signaculum crucis adorabilis ipsum futurum esse in testimonium inter me et vos in die iudicii, si mutaveritis quidquam ex his quae en doceo vos; quia coram Deo et tota Ecclesia en testimonio vos adiuro, quod in die in qua steteritis adversus voluntatem meam, eiecti eritis et alieni ab hoc munere, cum et apud illos, qui susceperunt periculum vestrum, ascendent omnia.

Dum dicunt: Amen, Amen, *retribuit eis* | *orationem* f. 49r *dicens:* Dominus Deus liberet nos et vos ab omni condemnatione. Dominus Deus det nobis et vobis, ut cum fiducia tradamus talentum spirituale duplicato fructu eius, et digni habeamur audire vocem dominicam hanc: « Venite, intrate, benedicti Patris mei, hereditate regnum caelorum » (71). Haec fiant et impleantur per orationes Genetricis Dei Mariae et omnium Sanctorum. Amen.

Tunc elevant capita sua, et praecipit eis ut faciant crucem in charta; et ipse Episcopus aut syncellus eius scribat nomina eorum et ecclesiarum eorumdem.

* * *

Et post absolutionem chirotoniae inclinantur coram mensa vitae unusquisque in gradu suo, et dicit eis Episcopus: Videte, filii mei carissimi, quemadmodum praedixi vobis, cum timore et tremore, et prout decet atque iustum est, sitis accedentes coram altari sancto et ad ministerium mysteriorum divinorum omni tempore. Cum cogitationibus nitidis et puris estote introeuntes in domum altaris Dei, non cum audacia, non cum superbia, non cum iactantia, non cum ⟨animi⟩ elatione, non cum aliquis vestrum tenetur odio et inimicitia erga so-

(71) Cf. *Matth.* XXV, 34.

cium suum ; sed cum specie pulchra et ordinatione, quae convenit sacerdotibus, pertractate mysteria sancta.

Praeterea et haec observare debetis, ne ambuletis in altari, cum capita vestra aperta ⟨*seu* nuda⟩ non fuerint ; aut sine orario, vos diaconi ; neque ponatis in ipso altari quidpiam quod ei non conveniat ; neque comedatis aut bibatis in eo praeterquam corpus et sanguinem Christi Dei ; et ne manducetis ac bibatis in domo cauponum, neque in diversoriis ; neque ponatis vos in principatum saeculi ⟨*i. e.* neque dominemini sicut principes saeculi⟩ ; neque ulli imponatis canonem ⟨*i. e.* sententiam *seu* poenam⟩ inique et ex passione, « sed iustum iudicium iudicate », prout scriptum est (72). Praeterea ne frangatis eucharisticum panem, neque calicem misceatis irreverenter et neglegenter et inconsulto ; sed diligenter et accurate omnia quae peragitis, potissimum in ministerio hoc, cum timore Dei et tremore agite, uti praediximus, illud cogitantes et scientes, quod in vos respicit vosque considerat Deus ille, qui scrutatur corda et renes, et retribuit omni homini secundum ea, quae agit manifeste et occulte sive bona sive mala, sicut scriptum est (73). Et quotiescumque unusquisque vestrum fuerit in altari cui renuntiatus
f. 49v ⟨*seu* incardinatus⟩ est, | potest ministrare ordinem suum, quicumque adfuerit. Si autem deserit quis vestrum altare suum et migrat in aliam regionem aut locum aliquem, non potest ministrare absque licentia Episcopi aut Visitatoris illius regionis.

Filii mei, scitote vos in conspectu Dei, qui probat corda et renes, stare eique vos ministrare, et non homini mortali et defectibili. Cauti estote, quando ingredimini ad altare, ne exaltemini mente vestra, aut in superbiam efferamini, aut contemnatis mysteria divina, quibus ministratis, aut supellectilia sacra, quae sunt

(72) *Ioan.* VII, 24.
(73) II *Cor.* V, 10.

signa ornamentorum thalami illius qui non transit. Et sive dum effertis fractionem et libamen, sive dum excutitis supellectilia, ne vilipendatis ea, ne forte in terram decidat ex eis quidquam ex membris corporis sancti, aut ex supellectilibus, aut ex benedictione panis, quae fit post sumptionem Mysteriorum : gratia enim Filii Dei est super eam. Timore magno et tremore amicti estote, o filii hominum, ne neglegentia vestra adducatis super vos sententiam duram et amaram, et rei fiatis eius cuius reus factus est Balthassar, quando contempsit vasa ministerii illius legalis (74).

En admoneo vos, ut custodiatis illa coram Deo et angelis eius sanctis, et coram altari hoc sancto ; si autem quispiam contempserit et transgressus fuerit ea quae en praecepi et monui, ipse dabit Deo rationem in die iudicii, et ego ero liber reatu. Quoniam quotiescumque tenetis fidem hanc veram, sacerdotes vos agnoscimus et diaconos, cum occulta vestra Deus videns occulta probet. Si autem, quod absit, aliquis vestrum declinaverit in aliquam, quaecumque fuerit, haeresim, sciat nihil remanere apud se de gratia hac sacerdotali quam suscepit. Deus liberet vos ab omni haeresi et ab omni malo per orationes omnium sanctorum suorum. Amen.

Deus det vobis ut hoc, quod suscepistis, sit ad ipsius quietem et ad incrementum verum et ad aedificationem Ecclesiae sanctae Dei, ad promotionem bonorum, ad salutem vitae vestrae, ad consummationem praedicationis Evangelii in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit. Qui orat pro scribente, et ipse veniam consequatur.

(74) *Dan.* V.

VII

EXHORTATIO ALIA f. 50r

COMPOSITA A MAR IACOBO METROPOLITA MAIPHERACTAE, CIVITATIS MARTYRUM, QUAE IN MESOPOTAMIA (1)

Quoniam vis accedere ad ministerium Dei incomparabilis, et fieri videns mysteriorum sanctissimorum desideras, cum introduceris in Sancta Sanctorum et similes intellegentias altiores saeculo, per gratiam Dei datoris omnium donorum magnorum et charismatum sublimium, et per mediationem exiguitatis nostrae et indignitatem meam ; affer (2) quidem, ut dum opus inspectionis apostolicae perficimus erga te, et viam sternimus coram te pontificaliter, gressus non impeditos, uti convenit dispensatoribus mysteriorum sanctorum, praebeas, et vitam possideas sacerdotalem, atque exinde retributiones beatae concedantur tibi, et nos liberemur a reatu, ceu illi qui impleverunt praeceptum Dei. Non enim vane et inconsulto et neglegenter aut sicuti in tabernaculo saeculari est ministerium ad quod accedis, *o talis*, non ita est, neque suscipiendum est ab illis, qui non perfecte et iuxta virtutis propriae possibilitatem in ipso ministrant, secundum illud quod dictum est in parabola a verbo sapienti et mystico : Non

(1) *Maipheracta* seu *Martyropolis*. IACOBUS ille floruit circa a. D. 1230. Varii codices exhibent hunc textum tam syriace, quam arabice translatum ; cf. BAUMSTARK, p. 312, n. 6. Versio partialis legitur apud MORIN, et secundum RENAUDOT apud DENZINGER, *op. cit.*, II, p. 106-108. Cf. etiam *Codices Syriaci*, II, p. 318, 9. I. AL. ASSEMANI omittit « composita etc. ».

(2) Observat idem I. AL. ASSEMANI : « Videtur mendosus codex ».

attingit gratia eos qui digni non sunt ; neque in corpore subdito peccato habitat sapientia (3). Cum itaque tamquam intellegens scias magnitudinem huiusmodi ex sublimitate et inaccessibilitate illius, cui per ipsum servitus et cultus exhibetur; etiamsi verbis concisis ostendamus tibi altitudinem eius et ordinem huius, iuxta habilitatem, quae in te est, audiendi et intellegendi ; debitum ⟨ac iustum⟩ tibi est, carissime noster, ut ante omnem theoriam et praxim custodias fidem veram et non fictam, quae a Domino per Evangelia ipsius veneranda et sancta tradita fuit Ecclesiae suae sanctae, per mediationem Apostolorum ipsius iustorum ac beatorum ; quam quidem et omnes Doctores ac Patres orthodoxi secuti sunt et tradiderunt ac docuerunt.

Est vero haec confessio in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ; qui licet sint tres Personae perfectae et inconfusae, verumtamen sunt unus Deus, una natura et Divinitas et essentia una ; neque aliquid aliud est Deitas extra Personas, neque ipsae Personae extra
f. 50v | Deitatem. Et cum intellegitur aut dicitur una ex his tribus Personis vocabulo proprio, Deum et naturam et essentiam et Dominum crede et confitere quod illa sit. Praeterea et cum hoc verbo theologiae et glorioso et vivifico fatere nobiscum et crede occulte mente et conscientia, ac manifeste ore et lingua vociferare, quod una ex Personis huius Trinitatis sanctae, quae est Verbum et Filius aeternus Patris aeterni, voluntate sua et Patris sui ac Spiritus sui Sancti (4), venit benigne ad nos, cum non recessit ab abscondito sinu Patris sui incomprehensibilis, non localiter, Deus autem certe venit, et quemadmodum scilicet convenit virtuti suae immensae, et incarnatus est de Spiritu Sancto consubstantiali sibi, et ex Maria quae est de genere David et Abrahae, caro animata, intellectu quoque praedita, et quae non

(3) *Sap.* I, 4.

(4) Cf. supra p. 102, n. 8; p. 128, n. 36bis.

subsistebat antea, iuxta delirium haereticorum ; et ita ex ipso utero univit sibi personaliter et naturaliter (5) ; et ex hinc Deus incarnatus ipse est, et una natura, quemadmodum etiam una Persona ; et non duae naturae aut in duabus naturis (6), secundum impietatem nestorianam.

Dum vero ita confiteris et credis indubitanter hanc fidem veram, consenties etiam nobiscum, tamquam discipulus et sectator indeclinabilis, Apostolis sanctis qui illam praedicarunt, et Patribus ac Doctoribus illis qui eam confirmarunt. Primum Petro illi vertici apostolico, et Apostolis omnibus sociis eiusdem, et annuntiatoribus qui post eos. Praeterea Ignatio illi igneo, et Dionysio illi magno, Iulio illi inclito, et Athanasio illi sublimi, et Basilio et Gregorio et Gregorio illis magnis, et Ioanni et Cyrillo illis celebribus, et Dioscoro illi confessori, et Severo illi ori omnium doctorum (7) ; et cum illis tamquam heredi ministerii et sedis etiam *tali* Patriarchae nostro huic qui hodie, et mihi quoque pusillo tamquam tenenti habenas ⟨*i. e.* exercenti auctoritatem⟩ regiminis pastoralis huius eparchiae. Reproba vero communiter nobiscum et sicut nos, per censuram anathematum dominicorum, omnes Ethnicos, Magos et Iudaeos, ac haereses quae aliquando exstiterunt ; proprie autem Simonem magum, et Manetem, et Bardesanem, | et Arium Alexandrinum, Sabellium Libycum, f. 51r
Eunomium, Macedonium, Apollinarem, et illos qui consenserunt eis aut tandem consentiunt. Rursus autem et Paulum Samosatenum, ac Theodorum et Diodorum, et Theodoretum et Ibam (8), Nestorium eiusque disci-

(5) Assemani omittit « naturaliter ». « Quam expressionem omisimus, scribit in appendice, ne sicut unam personam, ita unam naturam quis asserat cum Iacobitis ».

(6) Assemani omittit inde a « et una natura... »; quorum loco optime scripsit : « et una Persona, non duae personae ».

(7) Assemani omittit : « et Dioscoro... » et sq.

(8) Assemani omittit duo ultima nomina.

pulos, et omnes illos qui impie se gesserunt vel gerunt in verbo Humanationis ⟨*i. e.* qui impie senserunt vel sentiunt de Incarnationis mysterio⟩. Uti illos vero et cum illis damnabis et anathemati supponas etiam synodum quae ⟨fuit⟩ Chalcedone, et illos qui consenserunt vel consentiunt ei ; scienter autem Leonem romanum, qui fuit propugnator huius haeresis dualitatis naturarum (9). Cum illis autem istis et Iulianum Halicarnasseum phantasiastam, et Eutychen illum abominabilis nominis (10). Praeterea cum ipsis et ante ipsos Barsumam illum Persam Nisibis eiusque canones impuros et abominabiles, et novitatem sententiae iudaicae Gubensium (11) indoctorum et damnatorum ; et reliquos haereticorum, qui in verbo theologiae praecipue de Incarnatione erraverunt et decepti sunt et adversus veritatem orthodoxiae steterunt.

Debes etiam possidere in anima tua cum vigilantia simili fidem, quae vitam confert, puritatem quoque et irreprehensibilitatem morum sacerdotalium, qui decent ministros mysteriorum sanctorum et divinorum, in nulla re declinans ad inordinationem indisciplinatorum, quae est mater laxitatis ⟨et proclivitatis⟩ ad passiones peccati ; sed accinctus fortitudine convenienti ministerio huic spirituali, custodi teipsum cautum ⟨et continentem⟩ a gula, a luxuria et ebrietate, quae excludit a

(9) Assemani omittit totum istud anathema in diophysitas, inde scilicet a : « Uti illos... » usque ad « haeresis dualitatis naturarum ».

(10) Ita quidem I. Al. Assemani ; probabiliter vero fit allusio ad sensum nominis εὐτυχής = *felix, prosperus;* his vero dicitur « miseri, turpis nominis ».

(11) Assemani scribunt : « Gubitarum ». Hi vero « Gubenses » dicti sunt etiam « Abrahamiani »; cf. *B. O.*, II, p. 343 sq. Aliter intellexit Renaudot, qui libere interpretando, scribit : « renovationem circumcisionis (ܦܣܩܐ, *item:* sententiae) Iudaicae observatam ab *Aegyptiis* », confusione facta inter ܓܘܒܝܐ nostri textus et [ܠ]ܓܘܒܛܝܐ. Cf. Payne Smith, col. 671.

Regno caelesti, iuxta decisionem apostolicam Pauli illius magni (12). Ne sis contentiosus, iracundus, aut irrisor ; neque sit velox manus tua ad percutiendum, sive spiritualiter ad maledictiones et anathemata, sive sensibiliter quasi ad impletionem passionum vindictae. Ne accedas lucris immundis, quae ex usura et foenore, ex oppressionibus direptionibusque prohibitis, non fructuosis ⟨capiuntur⟩ ; nam sunt immundi coram Domino omnes operantes mala. Sis autem vigilans et cautus in omnibus moribus tuis, tamquam minister et oeconomus mysteriorum Dei, assiduus exsistens tu in orationibus et precibus ac supplicationibus, quae ad Deum ⟨fiunt⟩ pro te et pro populo coram quo administras. Ieiuniis | f. 51v
autem validis accingere tamquam armatura inexpugnabili ; et misericordia erga peregrinos ac sodales tamquam corona gloriosa ornatus sis ; mansuetudinem vero sequere et dilige, atque humilitati teipsum trade, ut sis templum illi qui dixit : « Discite a me quia mitis et humilis sum, et invenietis requiem animabus vestris » (13), ut puritate vitae praeditus et vigilantia in fide non adulterata, consequaris fiduciam, quae sine confusione est coram throno gloriae incomparabilis Domini Christi, quando manifestabitur ad retributionem et gloriam glorificantium se ; et sic nos quoque a reatu ministerii tui liberemur, et communiter promereamur miserationes eius et suavitatem, quae in regno eius beato, et simul attollamus confessiones et doxologias incessanter ; et Ipsi et Patri eius benedicto ac beato atque Spiritui eius adorando et sancto in saecula et generationes quae non transeunt. Amen.

Et hoc signum crucis vivum quod facis, ipsum testis est contra te in die Domini ; et tu noveris, ac nos exempti sumus a reprehensionibus pro erroribus, qui a te admittentur post hanc adiurationem, quae pontificali-

(12) Cf. I *Cor.* VI, 10; *Gal.* V, 21.

(13) *Matth.* XI, 29.

ter et apostolice tibi a nobis facta est. Quoniam autem ad ministerium hoc divinum vocatus es, et filius spiritualis (*sic!*) (14), atque dispensatio mysteriorum eius sanctorum ac vivificantium, et ordinatio conveniens altaris eius sancti per mediationem tenuitatis meae concreditae sunt tibi, adiuro te per ipsum Deum, qui vocavit te, per angelos eius amatores hominum, et ⟨per⟩ hoc altare mysticum, ut confirmes fidem orthodoxam quae a me praedicata est tibi, cum puritate scilicet et continentia vitae irreprehensibilis, ita ut fiducia tibi assistat coram eo, et tenuitati meae per te in die alterius manifestationis eius; hinc ergo exemptus sum ab erroribus tuis hic et in die Domini. Amen.

Explicit haec ⟨exhortatio⟩. Orate pro peccatore qui scripsit (15).

---

(14) Forsitan: « O fili spiritualis » (?).

(15) Haec conclusio non legitur in codice *Vat. syr.* 51, f. 63r.

VIII

RESPONSORIA ORDINATIONUM

Scribimus itaque modo responsoria, quae dicuntur in Chirotonia Diaconorum scilicet et Presbyterorum et Episcoporum, videlicet in omni ordinatione Sacerdotum et Episcoporum.

Responsorium: Miserere mei.

Miserere mei, Deus (1), (secundum misericordiam tuam) (*Ps.* LI, 1). | — Propitius esto mihi tu solus valde f. 52r misericors Deus, et suscipe me uti illum Filium prodigum ac miserere mei.

Amplius lava me (ab iniquitate mea) (*Ps.* LI, 2). — Pater sancte, et Dator sanctitatis, Deus, sanctifica per gratiam tuam servum tuum, qui exspectat donum tuum, ut per ipsum sanctificetur.

Tibi soli (peccavi) (*Ps.* LI, 4). — Fili, qui per donum tuum Apostolos tuos erudisti Deus, erudi per donum tuum servum tuum qui exspectat Spiritum tuum, ut per ipsum erudiatur (2).

Tu autem veritatem (voluisti) (*Ps.* LI, 6). — Spiritus, qui Apostolos linguis ignis erudisti Deus, sanctifica per donum tuum servum tuum, qui exspectat Spiritum tuum, ut per ipsum sanctificetur.

Satia me suavitate tua (et laetitia tua) (*Ps.* LI, 8). — Portas caeli aperiat gratia tua in conspectu nostro, Deus, et recumbere fac dexteram tuam super servum tuum, qui exspectat eam, ut per ipsam benedicatur.

---

(1) Cf. Denzinger, *op. cit.*, II, p. 82 sq.

(2) In codice *Vat. syr.*, f. 63r, l. 12 ab imo, prius erat scriptum ܢܬܩܕܫ: *sanctificetur*; at eadem manus supra tres ultimas litteras (haud rasas) scripsit ܪܕܐ. Iuxta contextum intellegendum videtur: « erudiatur ».

Cor mundum crea in me, (Deus) (*Ps.* LI, 10). — Stola tua ornetur collum, quod coram te inclinatum est, Deus, et praestolatur domum tuam, ut per ipsam ornetur ornamentis Spiritus Sanct.

Sed redde mihi (suavitatem tuam) (*Ps.* LI, 12). — Coetus caelestes exsultant in perfectione servi tui, Deus, et canunt inferiores laudem illi, qui turbis illorum eos adiunxit.

Libera me de sanguine, (Deus) (*Ps.* LI, 14). — Stupent ignei, cum scindit altitudinem Spiritus Deus, et descendit ut concedat donum per manus sacerdotum illis qui illud petunt.

Quia noluisti (sacrificia) (*Ps.* LI, 16). — Immensus, qui manibus, quae purae sunt, apprehenditur Deus, et descendit, ut conferat donum Pontifici in similitudine chrismatis (3).

Benigne fac voluntate tua (Ecclesiae tuae) (*Ps.* LI, 18). — Emundator debitorum, per illapsum Spiritus, Deus, munda per tuum accubitum servum tuum, qui exspectat perfectionem tuam, per quam emundetur.

Gloria Patri et Filio. — Gloria trina uni illi, qui trinus unus est Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus Deus verus, quem adoramus.

Aliud: Laudate Dominum in sanctuario eius.

Laudate Dominum in sanctuario eius (*Ps.* CL, 1). — Sancte, qui habitaculum tuum ⟨*seu* maiestatem tuam⟩ demisisti super montem Sinai et sanctificasti ipsum, demitte habitaculum tuum super servum tuum, ut sanctificetur.

Laudate eum in virtute eius; (laudate eum in multitudine) (*Ps.* CL, 2). — Inclinavit se Altissimus super montem Sinai, et recumbere fecit manum suam super Moysen, et Moyses posuit eam super Aaron, et ad Ioannem deducta est.

(3) AL. ASSEMANI scribit: *Aaronis.*

Laudate eum in organis (et tympanis) (*Ps.* CL, 4). — Spiritus Sancte, qui recubuisti super Apostolos in cenaculo, veni et commorare et recumbe super servum tuum, et sanctificetur.

Laudate eum in cymbalis (bene sonantibus) (*Ps.* CL, 5). — Spiritus Sancte, qui locutus es Prophetis, et venisti ac recubuisti super Apostolos, veni et commorare, et recumbe super servum tuum, et sanctificetur.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Bone, qui concredidisti Apostolis tuis potestatem altitudinis et profunditatis ⟨*i. e.* in caelo et in terra⟩, inhabitare fac habitaculum tuum ⟨*seu* maiestatem *vel* divinitatem tuam⟩ | super servum tuum, et sanctificetur. f. 52v

Gloria Patri sancto, qui misit Filium suum sanctum, et per Spiritum suum sanctum dat sanctificationem sanctis.

Explicit.

IX

CANTUS IN ORDINIBUS MINORIBUS

Item cyclia (1) *et cantus qui dicuntur in chirotoniis Cantorum, qui dicuntur* **Psaltae,** *Lectorum qui dicuntur* **Anagnostae,** *et Subdiaconorum qui vocantur* **Hypodiaconi.**

Cyclion in octavo. — In quo corrigit puer viam suam, ut custodiat mandata tua (*Ps.* CXIX, 9). Alleluia et Alleluia. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis. In corde meo abscondi verba tua, ut non peccem Tibi (*Ibid.* 10-11). Alleluia et Alleluia. Benedictus es, Domine, doce me mandata tua (*Ibid.* 12).

Item shuroïo ⟨i. e. *initium*⟩. — Viam testimonii tui dilexi magis quam omnes divitias (*Ibid.* 14). Alleluia et Alleluia. In mandatis tuis meditatus sum, et vias tuas cognovi (*Ibid.* 15).

Punoïo ⟨i. e. *responsio*⟩. — In lege tua meditatus sum, ut non obliviscar verba tua (*Ibid.* 16). Alleluia et Alleluia. Exaudi servum tuum, ut vivam et custodiam verba tua (*Ibid.* 17).

Item shuroïo ⟨i. e. *initium*⟩ *tertium.* — Revela oculos meos, ut videam mirabilia quae in lege tua (*Ibid.* 18). Alleluia et Alleluia. Incola ego tecum, ne abscondas a me mandata tua (*Ibid.* 19).

Punoïo ⟨i. e. *responsio*⟩. — Voluit anima mea, et desideravit iudicia tua omni tempore (*Ibid.* 20). Alleluia et Alleluia. Increpasti populos, et maledicti sunt illi qui errant a mandatis tuis (*Ibid.* 21).

---

(1) A voce *κύκλιον*, seu *ἐγκύκλιον* : *cyclius hymnus;* cf. PAYNE SMITH, col. 3559. — Item quoad sequentes liturgicos terminos: *shuroïo, punoïo, sedro, prooemium,* confer citatum *Thesaurum syriacum.*

Et in « Gloria » dicunt. — Benedicite eum ⟨tres⟩ pueri mundi, aequales in numero Trinitati creatrici saeculorum.

Et post sedro ⟨i. e. *ordinem*⟩, *cantus tono: Ego sum lux vera.* — Dixit Maximus pastorum Simoni, principi Apostolorum: Vide, Simon, quid agas de deposito, quod dedi in manus tuas. Cum vigilantia custodi gregem tuum a noxis et dissidiis; nam rationem debes reddere coram Iudice iustitiae, in cuius iudicio non est personarum acceptio.

Scripsit Paulus beatus Timotheo discipulo suo: « Vide, Frater noster, quid facias de Ecclesiis Christi; vide ne dederis sacerdotium neque altis, neque immundis, neque avaris, neque prodigis, verum mitibus et humilibus, et omni puro et mundo et sancto » (2).

Deus, qui locutus est cum Moyse in monte Sinai e medio rubo, et dixit ei: « Veni, ingredere in Aegyptum, et educ filios Israel »; ipse sit murus tranquillitatis et custos Ecclesiae sanctae, quae canat gloriam et confessionem Patri et Filio et Spiritui Sancto, mysterio Trinitatis.

Videte, sacerdotes, quid administratis: gradus altos f. 53r sacerdotii, quod ligat et solvit, sicuti | dedit ei Salvator omnium creaturarum, claves altitudinis et profunditatis ⟨*i. e.* caeli et terrae⟩ ecce positae sunt inter manus vestras, et beati vos cum facitis voluntatem Domini, Domini vestri, quia cum ipso intrabitis in thalamum.

---

(2) Cf. I *Tim.* III. — Cod. *Borg.* pro ultimis verbis habet: « et gubernanti domum suam recte », quae sunt ab amanuensi addita secundum I *Tim.* III, 4.

X

ORATIONES ORDINUM MINORUM

Item orationes shuroïo d^{e}sedrê ⟨i. e. *initii ordinum*⟩ (1) *qui ab Episcopo dicuntur in his chirotoniis Cantorum, Lectorum et Hypodiaconorum.*

Confirma, Domine, Ecclesiam tuam sanctam super petram immobilem fidei orthodoxae, et per Te corroboretur, et a Te recipiat auxilia perfecta et charismata divina, quibus illustrentur filii eius ad serviendum in tuo sancto templo pure ac sancte, Teque glorificent cum ordinibus immaterialibus supernis, Te, Pater et Fili et Spiritus Sancte in saecula. Amen.

Praesta nobis, Christe Deus, ut ministerium hoc mysticum operis huius sacerdotalis adimpleamus, atque divitiis charismatum tuorum caelestium atque divinorum repleamur, et attollamus Tibi gloriam.

Prooemium. — Gloria *et cetera.* Te misericordem et multae gratiae (2), qui genus humanum ex eo quod non erat, ad hoc ut esset adduxisti, illud creans et ornans; et rursus cum praevaricatione cecidit, redemisti, et resuscitavisti, et ad altitudinem charismatum tuorum divinorum appropinquari concessisti; Te, Domine, plene misericordia et clementia, supplices rogamus in

---

(1) Ita quidem in cod. *Borg.* At videtur legendum esse: *shuroïo et sedro* ⟨i. e. *initiii et ordinem*⟩.

(2) Sententiae relativae orationum, Deum in *secunda* persona alloquentium, stilo proprio syriaco exprimuntur in *tertia* persona; quam nos, iuxta syntaxim latinam, in *secunda* persona vertimus. Hic, in sollemni intricata sententia initiali, idem observatur; syriace nempe legitur: « Illum misericordem et multae gratiae, qui... adduxit... redemit, Te, Domine plene misericordia... »; latine vero iam prima pars legenda est in *secunda* persona, prout vertimus.

instanti hoc cum suffitu suavitatum, ut per ipsas miserationes perpetuas tuas dignum facias, qui suscipiat et accedat ad ministerium templi tui puri et sancti, servum tuum hunc, qui en stat inclinatus coram throno magnitudinis tuae, et exspectat donum quod ex Te est ; Tibi enim congruit gloria.

Sedro. — Glorificat Te, Domine, caelum per coetus spirituales, qui sanctificationibus trinis canentes benedicunt magnitudinem tuam ineffabilem ; et adorat Te terra per homines, qui ex ipso pulvere iussu tuo creati sunt, et quos dignos fecisti accedendi pure et sancte ad ministerium tuum ; Tu, Domine, qui omnia scrutaris et omnia potes ; Tu, qui per Filium tuum dilectum Dominum nostrum et Deum nostrum ac Salvatorem nostrum Iesum Christum, et per accubationem Spiritus tui Sancti commendasti charismata haec spiritualia ministerii huius naturae imbecilli nostrum hominum terrenorum,
f. 53v cum Apostolos | tuos sanctos replesti sanctificationibus tuis incomprehensibilibus, et per manus eorum claves spirituales sacerdotii thesauris praediti nobis commendasti et contulisti ; confitemur tuae misericordiae et glorificamus gratiam tuam, et confirmati spe tua magna, atque accincti fiducia in Te, effundimus deprecationem et supplicationem humilitatis nostrae coram magnitudine tua ; et obsecramus suavitatem tuam, dele peccata nostra per misericordiam tuam, et aufer ignorantias nostras per tuas miserationes, exhibe nos consummatores et perfectores praeceptorum tuorum, et plenos atque consummatos sanctificatione tua ; ita ut sufficientes simus qui ministremus coram Te absque declinatione ad passiones corruptionis, et conferamus populo tuo de tuis charismatis altis et sublimibus, et ad praesentandos altari tuo sanctos illos, quos susurratio scientiae tuae divinae ostendit et admovet, dum ipsa benignitas tua consummat et perficit eos per mediationem imbecillitatis nostrae ; eo quod, non quia digni sumus, accedimus, sed cum clementia tua effusa in do-

nis corroboremur. Propterea servum tuum *hunc aut hos*, qui ad ministerium tale vocatus est, dignum fac recipiendi et perficiendi per accubationem Spiritus tui divini ; et cum corpore eius simul animam eius mundas ab omni sorde et macula iniquitatis et peccati, sit in templo tuo sancto agnus purus, in quo requiescat voluntas tua bona et accepta, ac virtute tua divina corroboretur, et ad charismata, quae per scientiam tuam divinam et sublimissimam conferuntur, promoveatur ; ac nos et ipse fine bono, qui promissus est sanctis tuis, digni simus ; atque attollamus Tibi gloriam et confessionem, Tibi, Pater abdite et incomprehensibilis, et Filio ac Spiritui Sancto. Amen.

Oratio thuris. — Petimus a Te, Domine multum misericors, ut etiam modo per ipsas miserationes tuas paternas suscipias iucunde suffitum hunc suavitatum, quem obtulimus Deitati tuae sublimissimae in praesentatione filiorum spiritualium, quos ad ministerium hoc invitavit benignitas tua ; et dignos fac eos, qui ministrent in templo tuo sancto conversatione pura, glorificantes et exaltantes te, Christe pontifex vere, et Patrem tuum, ac Spiritum Sanctum, nunc ...

XI
CHIROTONIA CANTORUM

Et in eodem Domino, Domino nostro, hoc est gratia eius confortati, scribimus ordinem chirotoniarum sacerdotalium.

Primum chirotonia Psaltae, | *hoc est Cantoris.* f. 54r

Prout elegitur ad ministerium hoc, sive unus fuerit sive plures, praesentatur ad portam altaris, et stat aperto capite atque inclinato.

Episcopus incipit orationem shuroio ⟨i. e. *initii*⟩, *quae en scripta est; et Clerici dicunt cyclion, quod similiter scriptum est supra; atque Episcopus ponit sedro* ⟨i. e. *ordinem*⟩, *qui etiam ipse en scriptus est supra; et dicunt cantum, qui scriptus est; et post orationem thuris legitur psalmus ex Davide hic:* In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum (*Ps.* XXXI, 1) (1).

Et cum absolvit totum psalmum, inducunt illum ad altare, et Episcopus dicit super eum orationem hanc: Deus qui gratia tua immensa et benignitate tua quae est sine paenitentia, dedisti charismata et dona distincta ad honorem et salutem nostrum hominum, suscipe

---

(1) ⟨*In codice Borg., recentiore manu scriptum, nunc partim abscissum, in margine habetur carshunice*⟩. Et post lectionem psalmi tondit de capillis eius cruciformiter. — ⟨*Quod et syriace in margine sic habetur*⟩. Episcopus abscindit de capillis capitis eius cruciformiter, et deinde dicet super eum orationem scriptam, incipiens a parte anteriore ad posteriorem, et a latere sinistro ad latus dextrum, et deinde dicat: Signa, Domine mi, servum tuum hunc *talem super* altare Sancti Mar *talis* in civitate *tali* benedicta. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

hunc servum tuum et filium ancillae tuae, qui segregatus est ut calcet suppedanea altaris tui sancti, et fac eum ministrum cautum in pulchritudinem ordinationis convenientis horum, quae ipsi perficienda commissa sunt, concedens illi, ut in timore laudabili, et fiducia libera ab omni contemptu, stet intra septa altaris tui sancti; ita ut in omnibus rebus et in omni homine glorificetur nomen tuum incomprehensibile, pro omnibus gratiis tuis quae erga genus nostrum, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc ...

Et post orationem Episcopus apprehendit manum eius dexteram, dicens: Det tibi Dominus puritatem gressuum et rectitudinem famulatus et fiduciam in introitu et consistentiam in altari suo sancto, ut sis similitudo pulchra et exemplar dexterum illis qui te contemplantur; et omnes attollamus gloriam et confessionem et exaltationem incessabilem Patri et Filio et Spiritui Sancto adorando et incomprehensibili, et nunc ...

Tunc dant illi, ut gestet Librum Psalmorum super brachia sua, et dat pacem mensae sanctae, atque dant ei pacem, illum communicantes sacris mysteriis, dum dicunt hymnum (2).

Explicit hic ritus.

---

(2) ⟨*In margine habetur nota syriaca sequens*⟩. Et cum requiritur et elegitur aliquis vir saecularis, ut sit oeconomus Ecclesiae, ipsum hoc ministerium convenit, ut impleat Episcopus super illum, dum dat illi potestatem ingrediendi ad altare, omnes orationes dicit super eum praeterquam quod non datur illi deferendus Liber Psalmorum, neque dat pacem mensae, neque communicat mysteriis de mensa. — Praeterea in codice *Vat.* duae aliae parvae notae habentur in margine, quae partim evanuerunt, neque exscriptae sunt in codice *Borg.*

XII

CHIROTONIA LECTORUM

Adhuc ritus ordinationis Anagnostae seu Lectoris.

Ille quoque, qui ad hoc ministerium elegitur et vocatur ac praesentatur, intra portam altaris stat capite aperto et inclinato; et Episcopus | *incipit orationem* f. 54v *shuroio* ⟨i. e. *initii*⟩, *ac dicunt cyclion; et Episcopus ponit sedro* ⟨i. e. *ordinem*⟩, *ac dicunt cantum qui en scriptus est supra. Et post orationem thuris legunt lectionem ex Ezechiele propheta* (*Cap.* XLIII, 1-7; XLIV, 15-16).

(*Cap.* XLIII, 1). Et adducit me ad portam quae respicit ad orientem. 2. Et ecce gloria Dei Israel venit e via orientis, et vox eius tamquam vox aquarum multarum, et terra illuminata est ex eius gloria... 3. iuxta visionem quam vidi super flumen Chobar, et cecidi in faciem meam; 4. et gloria Domini intravit in domum per viam portae quae respicit ad orientem. 5. Et transtulit me spiritus, et induxit me in aream interiorem, et vidi quod repleta est domus Domini gloria eius. 6. Et audivi quod dixit mihi de domo; et vir stabat apud me, et dixit mihi: 7. Fili hominis, locus sedis meae et locus plantarum pedum meorum, quia habito inter filios Israel... (*Cap.* XLIV, 15). Et sacerdotes et levitae filiorum Sadoc, qui custodierunt custodiam sanctuarii mei, cum erraverunt filii Israel a me, ipsi accedent ad me ad ministrandum mihi; et ipsi stabunt coram me ...; 16 et ipsi ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensam meam, quo ministrent mihi, et custodiant custodias meas.

Deinde adiungit Episcopus inclinatus orationem hanc: Rogamus et obsecramus Te, Domine Deus, su-

scipe servum tuum hunc in Lectorem in Ecclesia tua sancta, erudi eum in mandatis tuis, da ei intellectum iustificationum tuarum, et concede ei ut cum timore exhibeat Tibi servitutem, dignum eum reddens qui sit vas electionis et Lector honorandus coram Te; ita ut ipse quoque consequatur miserationes tuas, cum illis qui a saeculo placuerunt Tibi. — *Et extollit vocem suam.* — Quia Deus es tu, qui vis misericordiam et benignitatem; et Tibi convenit gloria et honor et advocatio ab omnibus, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc. ...

Populus: Amen.

Episcopus: Pax vobis omnibus.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Episcopus inclinatus. Deus magne et dives in donis, qui ordines contulisti Ecclesiae tuae et gradus ministerii in ea constituisti, atque effudisti dona tua super tuos servos sanctifica etiam ⌈servos tuos hos, *aut*⌉ (1) servum tuum hunc, et elege cum in Lectorem, et dignum eum fac qui cum omni sapientia et itnellegentia faciat meditationem et lectionem verborum divinorum, et reple eum dono tuo, dum conservatur in moribus irreprehensibilibus.

Deinde convertitur ad illum Episcopus, et ambabus manibus suis apprehendens ambo tempora eius, orat in f. 55r *silentio orationem hanc:* Deus | magne et amator hominum, in cuius manibus omnia concluduntur et cuius nutu omnia continentur, qui omnibus ades et apud omnes stas, respice in servum tuum hunc, qui a nobis offertur ut sit praeco verborum tuorum sanctorum Testamenti Veteris et Novi, ita ut explicet populo verba tua sancta et mandata tua recta, et proclamet doctrinas tuas divinas ac salutares, quas posuisti in auxilia

(1) Haec verba ⌈servos tuos hos, aut⌉ non leguntur in vetusto codice *Vat.*, sed ab amanuensi Mar Athanasio Safar in codice *Borg.* addita sunt.

salutis animarum nostrarum. — *Et extollit vocem suam.* — Ita, Deus, erudi eum in tuis mandatis, et intellegere fac eum iustificationes tuas, et illumina oculos mentis eius ad illuminationem scientiae praeceptorum tuorum; et da illi ut puritate cordis et fide sine acceptione personarum faciat meditationes et lectiones illorum ad aedificatonem eorum qui audiunt, ad laudem et encomium regni tui, Pater et Fili et Spiritus sancte, nunc.

Et dat ei librum; huncque portans ⟨*Lector*⟩ *dat pacem mensae et sacerdotibus, dum dicunt hymnum. Et communicat ipsum Ordinatum sanctis mysteriis una cum Clericis.*

Explicit et hic quoque ordo perfecte. Venia peccatori qui scripsit.

XIII

CHIROTONIA HYPODIACONI

Adhuc ordo chirotoniae seu ordinationis Hypodiaconi (*).

Incipit Episcopus orationem shuroio ⟨i. e. *initii*⟩ *quae scripta est supra; et dicunt cyclion iam scriptum. Et Episcopus ponit sedro* ⟨i. e. *ordinem*⟩, *qui supra scriptus est; et dicunt cantum illum qui scriptus est.*

Et post orationem thuris dicunt psalmum, atque legitur lectio haec ex Isaia (*cap.* XLIV, 2-4; LIX, 21; LXI, 1-3).

(*Cap.* XLIV, 2). Sic dicit Dominus, qui fecit te et formavit te in utero, et adiuvit te : ne timeas serve meus Iacob et Israel quem vocavi : 3. Quia dabo aquas in terra sitienti, et fluentem in arida ; effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictiones meas super filios tuos, 4. et germinabunt de medio foeni, uti salices super rivos aquarum. (*Cap.* LIX, 21). Hoc est foedus meum vobiscum, dicit Dominus : Spiritus meus, qui super te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedant ab ore tuo et ab ore seminis tui, et ab ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in saeculum. (*Cap.* LXI, 1). Ecce spiritus Domini Dei super me, eo quod unxit me Dominus, et misit me ut annuntiem humilibus et alligem contritos corde, et praedicem libertatem captivis ac solutionem vinctis ; 2. et praedicem annum beneplaciti Domino, et diem salutis Deo nostro, ad consolandum omnes maerentes, 3. ad dandum maerentibus Sion gloriam, | pro cinere unguen- f. 55v

(*) ⟨*In margine legitur*⟩. *Et hic quoque stat ad portam altaris capite aperto et inclinato deorsum, donec absolvatur Sacrificium, et tunc adducitur.*

tum suave, et pro maestitia amictum gloriae, et pro spiritu languente vocabuntur filii iustitiae, plantatio Domini gloriosa.

Tunc orat Episcopus hanc orationem inclinatus. Domine Deus virtutum, qui posuisti nos in sorte ministerii huius, qui erudis mentes hominum et scrutaris corda et renes, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et munda nos ab omni sorde carnis et spirtus; aufer peccata nostra tamquam nubem, et tamquam caliginem iniquitates nostras; reple nos virtute tua et gratia unici Filii tui et efficientia Spiritus tui sanctissimi; idoneos nos effice, qui simus ministri Testamenti tui novi, ita ut possimus, uti dignum est nomine tuo sancto, consistere coram Te ad sacerdotale ministerium exhibendum mysteriis tuis divinis; neque derelinquas nos participes fieri peccatis alienorum, quinimmo et haec nostra dele; et da nobis, Domine, ne aliquid agamus in aberratione, verum concede nobis scientiam ad elegendum eos qui digni sint, et ad ⟨eosdem⟩ praesentandum Tibi. — *Et extollit vocem suam.* — Et suscipe Hypodiaconum, ac perfice servum tuum hunc qui hic praesens est, et exspectat domum tuum caeleste, quia suavis es et multum misericors erga omnes qui Te invocant, et fortis est potestas tua et unici Filii tui ac Spiritus tui sanctissimi, et nunc...

Populus: Amen.

Episcopus: Pax vobis omnibus.

Populus: Et spiritui tuo.

Archidiaconus proclamat Karuzuto ⟨seu *proclamationem*⟩: Gratia Domini nostri Iesu Christi, quae omni tempore supplet defectus nostros (1), offert ex ordine fratrum ad gradum hypodiaconi *talem* hypodiaconum in Ecclesia sancta loci *talis* periculo eorum qui obtule-

(1) Eodem modo incipit oratio ordinationum secundum ritum Chaldaeorum. Cf. *Pontificale iuxta ritum Ecclesiae Syrorum orientalium*, p. 11, l. 22. *B. O.* III, 2, p. DCCXCIX sq.

runt. Oremus itaque omnes, ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti, et clamemus ac dicamus ter « Kyrie eleison ».

Et Episcopus inclinatus dicit. Ita, Domine, dignum fac eum vocatione hypodiaconatus, ut mereatur per clementiam tuam, prout aequum est nomini tuo sancto, operari et servire in templo gloriae tuae, et inveniat miserationes coram Te. — *Et extollit vocem suam.* — Quia Deus misericors et miserator es, Tibique convenit gloria et honor et imperium, et Filio ac Spiritui Sancto.

Populus: Amen.

Episcopus | *transfert ambos digitos suos, qui sequuntur pollices, super oram disci et calicis dum circumducuntur, et convertitur ad illum, qui ecce ordinatur Hypodiaconus, et dum ponit ipsos suos digitos super tempora illius, orat hanc orationem invocationis sub silentio.* f. 56v

Deus, qui ab aeterno es, qui unxisti reges, qui sanctificasti prophetas, qui vocasti iustos; tu, Domine, voca servum tuum hunc vocationibus sanctis, et signa eum signo hypodiaconatus, et elege eum in famulum bonum Ecclesiae tuae sanctae, concedens illi donum Spiritus tui Sancti; da ei, Domine, amare communionem et pulchritudinem decentiae ⟨*seu* decorem⟩ domus tuae, ac stare in portis templi tui sancti, ad illuminandas lucernas domus orationis tuae, et cum timore et diligentia et conscientia bona perficere ministerium, ad quod vocasti eum. — *Et conversus ad altare extollit vocem suam.* — Et planta eum tamquam olivam spissam fructibus, qui afferat fructus iustitiae per Christum Iesum Dominum nostrum, cum quo Tibi convenit gloria et honor et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Populus: Amen.

Episcopus: Pax (vobis omnibus).

Populus: Et cum spiritu (tuo).

Episcopus orat inclinatus. Respice in nos, Domine,

et in ministerium nostrum, et munda nos ab omni labe, dum de caelo das gratiam huic servo tuo, ut mereatur per tuam benignitatem irreprehensibiliter conversari in ministerio hoc, ad quod vocasti eum, et inveniat miserationes tuas cum omnibus illis, qui Tibi placuerunt a saeculo. — *Et extollit vocem suam.* — Quia Deus volens misericordiam et benignitatem es, et Tibi convenit gloria ab omnibus, et honor atque adoratio, et Filio ac Spiritui sancto, nunc...

Et conversus Episcopus pollice suo signat eum in fronte <*signo*> *adorandae crucis tribus vicibus, dicens sic:* Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei.

Et Archidiaconus exclamat, dicens: Talis Hypodiaconus in Ecclesia sancta loci *talis.*

Episcopus iterum dicit: Talis Hypodiaconus in Ecclesia sancta orthodoxorum, quae praenominata est, in nomine Patris. Amen †, et Filii. Amen † et Spiritus Sancti in vitam aeternam. Amen † (2).

Et iterum convertitur Episcopus ad orientem <seu *Altare*>, *et orat orationem hanc inclinatus.* Gratias agimus Tibi, Domine (3) omnipotens in omnibus et pro omnibus, et laudamus ac glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnificasti
f. 56v
facere nobiscum, et induxisti benedictionem tuam super hunc servum tuum, et rogamus atque obsecramus Te, Domine, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et placeat Tibi benedictio hypodiaconatus, quae facta est a nobis super hunc servum tuum per benignitatem tuam, et da ei ut pure et caste impleat totum ministerium suum. — *Et extollit vocem suam.* — Et ut inveniat tranquillitatem

(2) Nota tria signa crucis non haberi in codice syriaco; supponuntur vero facta in ipso ritu iuxta parallelos locos, ac propterea optime a I. Al. ASSEMANI in *Borg. lat.* 166, p. 305 supplentur.

(3) In codice *Borg.* additur « Deus », quod non videtur necessarium.

tuam per miserationes unici Filii tui, per quem et quocum Tibi convenit gloria (et honor...).

Populus: Amen.

Episcopus iterum convertitur ad ordinatum, et imponit super humerum eius orarium circumducens ipsum super collum eius, et reducens ad humerum eius sinistrum, et dicit respondentibus (? Clericis) post eum: Ad laudem et honorem Trinitatis sanctae et consubstantialis, et ad honorificentiam atque aedificationem Ecclesiae sanctae.

Adhuc accipit Episcopus cereum lucentem, et dat illi dicens, respondentibus (? Clericis) post eum: Ego sicut oliva gloriosa in domo Dei ad quietem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Tunc incipiunt hymnum et admovent eum, datque pacem altari, et dant ei pacem Episcopus et Clerici.

Et si plures fuerint ordinandi eodem tempore, super unumquemque eorum dum ponit Episcopus manum, legit super eum speciatim orationem inclinationis similiter et cum signat cruce unumquemque, speciatim perficiat <i. e. *consecret*> *cruce tribus vicibus, et proclamet eum; reliquum autem ministerii communiter peragatur.*

Explicit et hic etiam ordo perfecte et exacte (4).

(4) Mar ATHANASIUS SAPHAR addidit in cod. *Borg.* « Orate pro me ».

XIV

CHIROTONIA DIACONORUM

Adhuc scribimus ordinem chirotoniae diaconorum (*)

Primum oratio shuroio ⟨i. e. *initii*⟩. — Concede nobis, Christe Deus noster, ut perficiamus ministerium hoc purum et mysticum, et simus Tibi templa sancta, et habitet in nobis mansio ⟨*seu* maiestas⟩ tua divina; et servum tuum hunc perfice et adimple ⟨*seu* consecra⟩ in ministerium hoc spirituale, ut nos et ipse glorificemus Te et Patrem tuum et Spiritum tuum sanctum, et nunc (1).

(*Item Episcopus incipit responsorium:* Miserere mei... Propitius esto mihi Tu solus, *quod en scriptum est supra; dum dicunt et absolvunt, Episcopus ⟨recitat⟩ orationem hanc*). Orna, Domine, servum tuum divitiis charismatum tuorum divinorum, ut cum gaudio et exsultatione ac puritate animae et corporis ministret co-

---

(*) ⟨*In margine legitur*⟩. Ille qui ad ordinationem diaconatus fuerit praeparatus, stat subtus portam altaris capite aperto, quoad perficiatur Sacrificium. Et statim apprehendit eum Episcopus dextera sua, et elevat eum; is vero procumbat super unum genu suum, id est dexterum, coram altari. Et si fuerit hypodiaconus, ponit super eum orarium, et imponit genu unius flexionem, et incipit, significans altaribus tantum (illum servire). — Nota ultima verba: « et incipit... » non esse translata a I. Al. ASSEMANI. Post « significans » nempe evanuit marginalis nota in codice *Vat.*

(1) Hoc loco in textu codicis *Vat.* (f. 69^{r}, l. 3) habetur signum, quo videtur indicari lacuna, iuxta communem ordinationum ritum supplenda. In margine igitur recentiore manu illa supplenda scripta sunt, quae Mar ATHANASIUS SAPHAR in textum codicis *Borg.* loco debito introduxit. *Borgianum* codicem vertit I. Al. ASSEMANI, quem et nos hic sequimur, adiuncta ponendo inter uncinos ( ).

ram Te cunctis diebus vitae suae, et attollamus Tibi gloriam et confessionem, Pater, Fili ac Spiritus Sancte in saecula.

f. 57v | *Item incipiunt cyclion secundum aut septimum:* Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Alleluia et Alleluia. Et quis commorabitur in monte sancto tuo? (*Ps.* XV, 1).

Gratiam Domini in aeternum cantabo, et in generationem generationum notam faciam fidem eius per os meum (*Ps.* LXXXIX, 1). Alleluia et Alleluia. Hic accipiet benedictionem a Domino, et iustitiam a Deo salvatore nostro (*Ps.* XXIV, 5).

Gloria...

Item cum talenta, quae ex Deo per gratiam Spiritus omnes accepistis adiutorio Datoris Christi, duplicate ea dicentes : Benedicite omnes servi Domini *etc.* (*Ps.* CXXXIV, 1).

A saeculo...

Gratia illa, qua repletus fuit Isaias propheta a Deo pacis, nobis rursus haec data fuit. Te ⟨enim⟩ Christum Deum novimus; Tu siquidem solus venisti in terram, et inimicitiam in reconciliationem cum Deo Patre commutasti sanguine tuo pretioso, quem effudisti pro redemptione generis nostri.

Archidiaconus dat suavitates Episcopo; et Episcopus incipit prooemium hoc: Gloriam et encomium atque exaltationem attollere mereamur illi, qui gratia sua ultronea constituit sibi in caelis caelorum Ecclesias supernas et ministros ignis et spiritus; et ornavit atque illustravit eos decore claritatis primae; et per amorem suum erga homines confirmavit et perfecit in Ecclesia sua sancta ministros, qui cum puritate ipsi ministrarent, ⟨in⟩ typum illorum, qui intellectualiter ministerium exhibent Dominationi ipsius, eo quod non habet finem laus Maiestatis eius. Obsecramus et rogamus supplices bonitatem tuam, ut demittas in nos, et in servum tuum hunc gratiam Spiritus tui sancti, ita ut, prout

decet Dominationi tuae, ministremus coram magnitudine tua, Pater et Fili et Spiritus Sancte.

Sedro ⟨i. e. *ordo*⟩. Christe Deus noster, clarificator ministerii spiritualis et ornator atque elevator ordinum ecclesiasticorum, qui eos qui honorant altare tuum et ministrant cum puritate et sanctitate, invitatos ad regnum fecisti per illud quod dixisti : « Ubi ego sum, ibi et minister meus erit » (*Ioan.* XII, 26). Qui Stephanum, caput diaconorum et primum martyrum, ostendisti quod esset perficiens mandata tua, obsecramus miserationes tuas, ut per deprecationes eius et omnium qui placarunt Dominationem tuam, et servum quoque tuum hunc, qui praesentatus est ad ordinem diaconatus, facias eum Diaconum, qui secundum voluntatem tuam dirigatur in via mandatorum tuorum rectorum; Diaconum, qui in lege Dominationis tuae | meditetur f. 57v die ac nocte; Diaconum, qui fortitudinem spiritualem semper praeseferat; Diaconum, qui puritatem animae et corporis mercetur; Diaconum, qui velociter impleat cursum evangelicum; Diaconum castitatis et sanctitatis; Diaconum confirmatum, caritate vera et perfecta conspicuum; Diaconum, qui gratiam Domini in aeternum canat; Diaconum, qui curam habeat doctrinarum evangelicarum; Diaconum, qui talentum spirituale, sibi concreditum, duplicet convenienter et evangelice; Diaconum, qui altare sanctum ornet cum humilitate et sanctitate sublimi; Diaconum, qui praebeat in se exempla pulchra, secundum mandatum apostolicum (2), Diaconum dexterum, qui custodiat cor suum et linguam suam ab omni dolo ⟨et⟩ ab omni malo; Diaconum dexterum, cui odium perfectum insit adversus omnes haereses corruptas; Diaconum dexterum ac fidelem, in quo videatur opus bonum fideliter et duplicate; Diaconum dexterum, qui thus acceptum adoleat in altaribus sa-

(2) Cf. I *Tim.* IV, 12; *Tit.* II, 7. Sed et omnia praecedentia continent allusiones ad notos textus biblicos.

cerdotalibus ; Diaconum dexterum, qui ieiunia pura et orationes exauditas ieiunet et oret ; Diaconum dexterum et citharedum divinum qui cantus dulces, in Spiritu sancto cantatos, ministret ; Diaconum dexterum, in quo resplendeat dilectio Dei, et dilectio fratrum ac peregrinorum ; Diaconum dexterum, qui laudes Domini semper eructet ; Diaconum dexterum, qui omni tempore et in omni re, ea omnia, quae decent et placant Deum, faciat atque adimpleat ; et cum ⟨secundum⟩ ea quae voluntati tuae placent, Domine, gubernamur ⟨*seu* vitam instituimus⟩, nos et ipse similiter dexteri tui ⟨*seu* ad dexteram tuam⟩ ordinemur, et attollamus Tibi gloriam (et confessionem).

Populus: Amen.

Episcopus: Pax (vobis omnibus).

Populus: Et cum spiritu (tuo).

Episcopus proclamat: Sancte, qui habitaculum tuum demisisti...

Clerici dicunt omnes strophas, quae en scriptae sunt supra post canticum.

Et tunc Episcopus orat orationem hanc thuris (3) : Multitudini miserationum tuarum, Domine, offerimus suffitum hunc suavitatum pro servis tuis, qui praeparati sunt ad consecrationem sanctam, ut per Te sanctificentur in domesticum famulatum mysteriorum tuorum divinorum, et cum oeconomis fidelibus et prudentibus recipiant charismata vocationis supernae, et attollant Tibi gloriam et confessionem nunc.

(3) Hic est textus et ordo codicis *Vat.* f. 70r, l. 4 sq. — In margine autem recentiore rudi manu scriptum est : *Cantus:* Ego sum lux, *scriptus ante in servitio hypodiaconorum.* — Unde Mar Athanasius Saphar sequenti modo — parum felici — complevit textum. Post : *Populus:* Et cum spiritu tuo. *Et dicunt cantum:* Ego sum lux vera, *qui en scriptus est supra in servitio hypodiaconorum. Antea dicant* (? sic...) : Sancte qui habitaculum tuum demisisti *etc.*, *quod scriptum est supra. Tunc Episcopus ⟨orat hanc⟩ orationem thuris...* (Cf. cod. *Borg.*, f. 57v, l. 10-7 ab imo).

Hic dicunt psalmodiam: Vidi solem.

Et legunt lectionem ex Actis ⟨Apostolorum⟩. (*Cap.* II, 16-19 ; 21 ; 38-39 ; X, 34-35 ; 44-46).

(*Cap.* II, 16) Carissimi, hoc est quod dictum est per Ioelem prophetam : 17. Et erit in diebus novissimis, dicit Deus, effundam | Spiritum meum super omnem f. 58r
carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae ; et iuvenes vestri visiones videbunt, ac seniores vestri somnia somniabunt ; 18. et super servos meos et super ancillas meas effundam Spiritum meum in diebus illis, et prophetabunt ; 19. et dabo signa in caelo et prodigia super terram. 21. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, vivet. 38. Paenitentiam agite, et baptizemini in nomine Domini Iesu in remissionem peccatorum et accipietis donum Spiritus Sancti ; 39. vobis enim erit promissio et filiis vestris et omnibus illis qui longinqui sunt, quos Deus vocabit. (*Cap.* X, 34). In veritate enim comperi, quod Deus non est acceptor personarum 35. sed in omnibus populis qui timet Eum et colit iustitiam, acceptus est apud Eum. 44. Et cum Simon loqueretur hos sermones, descendit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum ; 45. et stupuerunt atque admirati sunt fratres circumcisi, qui venerant cum ipso, quod etiam super Gentes donum Spiritus Sancti effusum est, 46. et magnificabant ac glorificabant Deum (4).

(*Tunc legunt Paulum Apostolum ex Timotheo* (I *Tim.* III, 8) : Fratres mei Diaconi, estote casti (5), non duplices verbis... *Item ⟨legunt⟩ Evangelium ex Ioanne, lectionem dominicae novae* ⟨i. e. *in albis*⟩).

Tunc Episcopus orat orationem hanc inclinatus. Domine Deus virtutum, qui posuisti nos in sorte ministerii huius, qui erudis mentes hominum et scrutaris

(4) Quae sequuntur inter uncinos ( ) posita, supplenttur in cod. *Borg.* (f. 58r, l. 13-15) iuxta marginalem notam cod. *Vat.*

(5) Corrigendus codex : [illegible], et legendum [illegible], ita *Ḥarkl.* l. cit. Cf. Payne Smith, col. 1765.

corda et renes, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et munda nos ab omni sorde carnis et spiritus; aufer peccata nostra tamquam nubem, et tamquam caliginem iniquitates nostras; reple nos virtute tua, et gratia unici Filii tui et efficientia Spiritus tui sanctissimi; idoneos nos effice, qui simus ministri Testamenti tui novi; ita ut possimus, uti dignum est nomine tuo sancto, consistere coram Te ad sacerdotale ministerium exhibendum mysteriis tuis divinis; neque derelinquas nos participes fieri peccatis alienorum, quinimmo et haec nostra dele; et da nobis, Domine, ne aliquid agamus in aberratione, verum concede nobis scientiam ad elegendum eos qui digni sint, et ad ⟨eosdem⟩ praesentandum Tibi. — *Et extollit vocem suam.* — Et suscipe Diaconum, ac perfice servum tuum hunc qui hic praesens est, et exspectat donum tuum caeleste, quia suavis es et multum misericors erga omnes qui Te invocant, et fortis est potestas tua et [f. 58v] unici | Filii tui ac Spiritus tui sanctissimi, et nunc...

(*Populus:* Amen).

Episcopus: Pax...

Populus: Et cum spiritu (tuo).

(*Et Clerus dicit cathisma* (6) *hoc:* Veniat Spiritus Sanctus, et recumbat super unumquemque eorum secundum promissionem tuam, Salvator noster. Ne prives eos, Domine, dono Spiritus Sancti. Hoc petimus a Te, o susceptor orationum: Spiritum illum Sanctum. Propter hoc clamamus, dicentes: Sanctus es Spiritus paraclite. Sanctus es Spiritus efficiens vitam. Sanctus es Spiritus qui collatus es nobis. Oh donum Spiritus Sancti! Oh mysterium magnum ineffabile! Oh prodi-

---

(6) Id est κάθισμα, seu hymnus qui *sedendo* dicitur. In codice *Vaticano* legitur in folio distincto, recentius scripto, f. 71. In fine f. 71b additur: « Explicit. Orate pro peccatore qui scripsit ». Hoc loco in margine eiusdem cod. *Vat.* f. 70v habetur nota, quae magna ex parte evanuit neque transcripta est in cod. *Borg.*

gia tua, quae erga genus nostrum ⟨operatus es⟩, Domine omnium, gloria Tibi).

Archidiaconus proclamat: Gratia Domini nostri Iesu Christi, quae omni tempore supplet defectus nostros (7) voluntate Dei Patris, cum virtute Spiritus Sancti (8), hunc prope adstantem qui cum timore ac tremore et fide veritatis animam suam coram altari sancto inclinavit, et oculo mentis respicit in altitudinem ad Te, qui habitas in caelis, et exspectat donum tuum caeleste, offert ex ordine hypodiaconorum ad gradum Diaconorum *talem*, Diaconum pro altari sancto et divinae Dominae sanctae loci *talis*, sub periculo eorum qui illum obtulerunt. Oremus igitur omnes, ut veniat super illum gratia et illapsus Spiritus Sancti, clamemusque et dicamus ter: Kyrie eleison (9).

Populus ter: Kyrie eleison.

Episcopus orat inclinatus: Ita, Domine, dignum fac eum vocatione diaconorum, ut mereatur per clementiam tuam, quemadmodum aequum est nomini tuo, exhibere Tibi servitutem et ministrare altari tuo sancto, et consequi miserationes coram Te. — *Et extollit vo-*

---

(7) Cf. supra in ordinatione hypodiaconi, p. 162, n. 1.

(8) In oratione correspondenti chirotoniae patriarchalis Chaldaeorum, additum legitur: « et Filii eius omnia disponentis », sed non locis parallelis aliarum ordinationum. (Cf. *Pontificale... Chaldaeorum*, p. 141, l. 18). In sessione XIV Commissionis pro edendo Pontificali Chaldaeorum, propositum est, ob rationes litterarias et doctrinales, ut verba illa supprimerentur. Haec *Pontificalis Syrorum* oratio confirmat conclusionem illam.

(9) Mar ATHANASIUS SAPHAR in cod. *Borg.* f. 58r, l. 14-18 mutavit, haud feliciter, hanc orationem secundum recentem marginalem notam, quae videtur addita pro peculiari quadam ordinatione: « offert ex ordine fratrum in gradum Diaconorum *talem*, Diaconum in altare sanctum et divinum domus Deiparae Mariae et XII Apostolorum sanctorum et XL Martyrum inclitorum et sancti Mar *talis* in loco *tali* subiecto auctoritati sedis apostolicae Antiochiae Syriae, amantis Christum et dilectae. Amen ».

cem suam (10). — Quia Deus misericors et miserator es, et Tibi convenit gloria et honor et imperium, ac Filio et Spiritui Sancto, nunc.

Tunc (11) *coaequat Episcopus manus suas et ponit super Mysterium, et extendit quoque brachia sua, ac colligit ter super corpus et sanguinem, et cum accipit ex calice palmas suas extensas, convertitur ad ordinandum, ponitque manus suas super caput eius. Et iterum elevat manus suas, extendens brachia sua, eaque tremula demittens super caput ordinandi ter Episcopus, dum oculi ipsius sursum respiciunt* | f. 59r *cum timore. Et postea ponit dexteram suam super caput eius, et abscondit manus et caput ordinandi « phaino » suo. Et cum manus Episcopi fuerint absconditae, et dextera eius fuerit posita super caput, ac sinistra eius sit propellens* ⟨seu *motitans*⟩ *hinc et inde, ore suo orat Episcopus orationem hanc* (*invocationis Spiritus Sancti*) (12) *sub silentio*.

Deus, qui aedificas Ecclesiam tuam eamque fundas stabilem, qui addis ⟨*vel* auges⟩ implens quae deficiunt ei per sanctos tuos, qui in omnibus generationibus ad gubernationem ipsius ordinati sunt. Tu, Domine, et in hac hora respice in servum tuum, et mitte super eum gratiam Spiritus tui Sancti, et reple eum fide et caritate et virtute et sanctitate, et quemadmodum dedisti gratiam Stephano, quem primum vocasti ad opus huius ministerii, sic da ut etiam super servum tuum hunc veniat auxilium de caelo. Non enim per impositionem manuum nostrum peccatorum, sed per operationem miserationum tuarum abundantium datur gratia his qui

(10) Secundum recentem correctionem (?) hoc transfertur statim ante : « ut mereatur per... ».

(11) In codice *Vat.* f. 72r hic habetur duplex nota marginalis (forsitan symbolica interpretatio huius ceremoniae), quae evanuit neque exscripta est in codice *Borg.*

(12) Inter ( ) posita, leguntur in margine in utroque codice ; at in codice *Vat.* est nota recens.

ea digni sunt. Propterea rogamus ac deprecamur Te, libera nos a participatione peccatorum, quia Tu es qui unicuique retribuis secundum opera eius. Da nobis autem, Domine, ut nihil incongruum faciamus in aberratione ; sed concede nobis scientiam ad elegendum eos qui digni sunt, et ad offerendum altari tuo sancto, ut irreprehensibiliter ministrent ministerium tuum ad profectum et incrementum populi tui, neque sint ⟨in⟩ offendiculum Ecclesiae tuae, ut etiam ipsi evadant reatum sempiternum, et nos vitemus retributionem terribilem illorum qui peccant in altaria tua. — *Et conversus ad altare extollit vocem suam.* — Ut cum puritate cordis consistentes coram altari sancto consequamur miserationes cum servo tuo hoc in die retributionis tuae iustae ; quoniam Deus misericors et miserator es, Domine, et Tibi convenit gloria et honor et imperium, ac Filio et Spiritui Sancto.

Episcopus : Pax (vobis omnibus).

Populus : Et cum spiritu (tuo).

Diaconus : Coram Domino capita nostra inclinemus.

Populus : Coram Te (Domine).

Episcopus inclinatus. Respice in nos, Domine, et in ministerium nostrum, et munda nos ab omnibus inquinamentis, dans e caelo gratiam huic servo tuo, ut mereatur per donum tuum irreprehensibiliter Tibi ministrare, et obtineat miserationes tuas cum omnibus sanctis tuis, qui a saeculo Tibi placuerunt. — *Et extollit vocem suam* (13). | (f. 59v) Quia Deus volens misericordiam

(13) In codice *Borg.*, f. 59r, l. 2, ab imo usque ad f. 59v, l. 5 additur iuxta recentem notam marginis superioris *Vat.* f. 73r : « Quia tu es Dominus et Deus omnium, et a Te veniunt omnia dona bona, et ad Te | f. 59v respiciunt exspectantes servi tui isti, ut perpetuo custodiantur charismata tua in animabus eorum, et recipientes sint atque recepti a gratia tua in animabus suis exsultent, et animae ipsorum charismata tua desiderantes, de tuis charismatis impleantur atque illuminentur ». Cf. infra f. 62v, ubi eadem additio facta est.

et benignitatem es Tu, et Tibi convenit ab omnibus honor et adoratio ac Filio et Spiritui Sancto nunc...

Et rursus convertitur Pontifex ad eum qui ordinatur, et ponit dexteram suam super caput eius, dicens: Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei.

Archidiaconus respondet: Talis Diaconus pro altari sancto ecclesiae sanctae loci *talis* (14).

Et Episcopus rursus dicit: Talis Diaconus ad altare sanctum Ecclesiae sanctae loci orthodoxorum praenominati in nomine Patris. Amen. † et Filii. Amen. † et Spiritus Sancti in vitam aeternam. Amen. † *Et signat frontem eius* (15).

Et ubi perfecit tres cruces, convertitur ad orientem, et orat orationem gratiarum actionis inclinatus. Gratias agimus Tibi, Domine noster omnipotens, et laudamus, atque glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnificasti facere nobiscum, et effudisti donum tuum super hunc servum tuum. Itaque rursus petimus a Te, et obsecramus Te, Domine, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et complaceat Tibi in chirotonia hac, quae facta fuit Diaconatus super hunc servum tuum, per adventum Spiritus tui sanctissimi. Et superadde vocationi electionem et sanctitatem ac gratiam bonitatis tuae, et elege nos et eum in bonum, et da ei ut operetur Tibi ⟨in⟩ talento quod accepit. — *Et extollit vocem suam.* — Ut cum omnibus qui fecerunt voluntatem tuam, accipiat mercedem Diaconorum fidelium et sapientium in altero de caelo adventu Domini nostri, Dei nostri et Salvatoris nostri, Iesu Christi, quocum Tibi convenit gloria, et honor, et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo et bono (et adorando, et nunc...).

---

(14) Secundum recentem notam marginalem scripsit Mar ATHANASIUS SAPHAR in cod. *Borg.* f. 59v, l. 8-9: « *Talis* Diaconus domus Deiparae Mariae et XII Apostolorum sanctorum, et XL Martyrum inclitorum, et sancti Mar *talis* in loco *tali* ». Cf. supra p. 173, n. 9.

(15) Codex *Borg.* omittit: « Et signat frontem eius ».

Et statim ordinati manum dexteram apprehendens Episcopus erigit eum, acceptumque orarium imponit capiti eius, dicens: Ad laudem et honorem et decus et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis et ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Et secunda vice idem repetit, et respondent Clerici idem similiter; | *demittit orarium, et ponit super humerum eius sinistrum. Accipit etiam Episcopus thuribulum, et iterum dicit tertia vice, et respondent post eum:* Ad laudem (et honorem) *etc. Et dat illi thuribulum gestandum. Et tunc incipiunt hymnum, et admovent eum, ac dat pacem altari, et ponit Episcopus suavitates in thuribulo, et ipse diaconus circumducit ad omnes, et dant illi pacem, et particeps fit de sacris mysteriis.* f. 60r

Et si plures fuerint qui eodem tempore ordinantur, unicuique eorum specialiter haec omnia oportet fiant.

Explicit etiam ritus iste.

XV
CHIROTONIA PRESBYTERORUM

Adhuc gratiam effusam in omnes et super omnes et omni tempore invocantes, scribere aggredimur etiam ritum chirotoniae Presbyterorum (1).

Primum oratio | *shuroio* ⟨i. e. *initii*⟩. Sustenta, Do- f. 60r
mine, dextera tua forti et brachio tuo alto atque omnipotenti Ecclesiam tuam sanctam hanc, quam possedisti sanguine tuo pretioso, et dispelle ac dissipa ab ea omnes qui observant superstitiones vanas seu diabolicas; et da illi ut in Te confidat et speret, et exsultet et laetetur in salutari tuo offeratque Tibi agnos christianos (2), nunc...

Et incipit, ac dicunt responsorium: Miserere mei... Propitius esto mihi, *quod en scriptum est supra. Et post responsorium recitat Episcopus sedro* ⟨i. e. *ordinem*⟩.

Primum prooemium. Laudem et honorem et adorationem et magnificentiam mereamur efferre Regi Regum et Domino Dominantium, Datori charismatum caelestium et Distributori donorum ineffabilium, qui perfecit apostolos suos per Spiritum suum, et docuit discipulos suos sapientiam suam. Quem decet gloria et honor in hoc instanti quo ministerium hoc divinum offerimus, et miserationes ac clementiam petimus et omnibus momentis et horis (3).

---

(1) Initio plures habentur in cod. *Vat.* notae marginales, quae videntur esse rubricae; at evanuerunt magna ex parte, neque in cod. *Borg.* sunt transcriptae.

(2) Quoad sensum conveniret quidem optime singularis numerus: « Agnum Christum »; at tam codices *Vat.* et *Borg.*, quam versio Renaudot habent pluralem (cf. Denzinger II, p. 87).

(3) Secus et supra *prooemium* in cod. *Vat.* f. 74 bis, manu re-

Sedro ⟨i. e. *Ordo*⟩. Domine Domine noster, plene misericordia et hominum amator, cuius laudis honori sublimi ⟨celebrando⟩ haudquaquam sufficiunt cuncta saecula, qui ab Angelis adoraris, ab Archangelis glorificaris, a Seraphim sanctificaris, et ab omnibus ordinibus spiritualibus et incorporalibus cum timore exaltaris, et propter miserationes tuas multas, qui in Te naturaliter inveniuntur, voluisti laudibus spiritualibus et caele-
f. 60v stibus | delectare naturam humanam; quapropter per Apostolos tuos sanctos ordines caelestes commendasti iis qui in terra sunt, et similitudines ⟨quidem⟩ per Moysen, caput prophetarum praesignasti, nunc ⟨autem⟩ per Filium tuum dilectum tradidisti veritatem Simoni, capiti Apostolorum, et per ipsum toti Ecclesiae sanctae usque ad consummationem saeculi. Tu, Domine Deus, gratia tua et miserationibus tuis multis suscipe primitias has, quae hodie offeruntur Maiestati tuae, per mediationem tenuitatis nostrae, a natura vili ac fragili humanitatis nostrae, servum tuum hunc, quem modo sancta Dominationis tuae vocatione vocasti, ut sit dispen-

centiore et antiquiore, at neutra primitiva, scriptum est: « Gratia illa qua repletus fuit Isaias propheta a Deo pacis, nobis rursus haec data fuit. Te ⟨enim⟩ Christum Deum novimus; Tu siquidem solus venisti in terram, et inimicitiam in reconciliationem cum Deo Patre commutasti sanguine tuo pretioso, quem effudisti pro redemptione generis nostri.

— Deinde iuxta sequentem « sedro », manu recenti: « *Strophe*. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Alleluia et Alleluia. Et quis commorabitur in monte sancto tuo? (*Ps*. XV, 1). — *Septimus*. Sanctus est Moyses et Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter invocantes nomen eius (*Ps*. XCIX, 6). Alleluia et Alleluia. — *Gloria*. Communicent animae nostrae oportet oleo effuso, ut Christum verbis nostris effundamus; ut recipiamus ab eo in die novissimo auxilia, et clamemus ac dicamus: Benedicite ».

— Demum in margine inferiore adhuc legitur: « Ad discipulos suos: Vos remanete in Ierusalem usque dum veniat virtus de alto... »; cetera vero evanuerunt.

— Nulla ex istis notis marginalibus exscripta est in cod. *Borg*.

sator mysteriorum tuorum divinorum, sacerdos dexter et gubernator bonus et antistes spiritualis, sacerdos plenus castitate, doctor peritus totius virtutis ovium tuarum rationalium, sacerdos vigil et diligens cui concreditae sunt claves regni caelorum, ut aperiat portam paenitentiae iliis qui ad Te convertuntur; sacerdos et afferens mysteria sacerdotii thesauris abundantis, qui ligat iuxta voluntatem tuam reprehensibiles, et solvit tuo iussu paenitentes qui accedunt ad contritionem veram; sacerdos firmus, qui tua caritate confirmatur et spe tua ornatur; sacerdos, id est presbyter, plenus nitore qui ornamentis sanctitatis fulget, et puritate splendescit, atque laborat in vinea tua rationali prout oportet; sacerdos pulchri timoris, cui dedit ipse ut vigil et diligens sit in exercitio bonorum; sacerdos commendabilis, qui talentum evangelicum adauget unum in triginta, in sexaginta et in centum; sacerdos dexter, cui cura est super custodia mandatorum tuorum divinorum. Evelle, o Domine, et depelle ab eo omnia desideria immunda, quae inducunt ad peccatum per voluptates carnales; et confirma eum in caritate tua divina et in spe tua beata; planta eum et orna eum in sanctitate ac puritate animae et corporis, atque splendore Spiritus et moribus inclitis; custodi et confirma eum in fide orthodoxa, quae contemptibilis non sit commixtione haeretica aut reprehensione morum foedorum; dignum eum fac per tuam misericordiam, ut cum fiducia operum bonorum et laudabilium, atque omni genere morum virtutis et humilitatis mentis accedat ad ministerium mysteriorum tuorum divinorum et opus hoc angelicum, in quod
etiam ipsi angeli tui sancti | desiderant prospicere; et f. 61r
inveniat liberationem perfectam et salutem integram vitae suae, et propitiationem debitorum et remissionem peccatorum universo gregi tuo rationali et sacerdotali, qui commendatus est ei, per gratiam et miserationes Unigeniti Filii tui, Domini autem nostri et Dei nostri

et Salvatoris nostri, Iesu Christi, quocum Tibi convenit gloria (et honor...).

Episcopus: Pax (vobis omnibus).

Populus: Et cum spiritu (tuo).

Episcopus incipit: Sancte, qui demisisti tabernaculum tuum...

Et Clerici dicunt et absolvunt omnes versus, prout scripti sunt supra.

Tunc Episcopus orat orationem hanc thuris. Suscipe, Domine, suaviter suffitum hunc aromatum, quem obtulimus (4) coram Te in hoc instanti, et mitte Spiritum tuum sanctum super nos et super servum tuum hunc, qui hic procumbit et exspectat donum et charisma tuum per mediationem tenuitatis nostrae, et propter haec ac similia gloriam referemus Tibi, Domine noster Iesu Christe, Pontifex vere, et Patri tuo fonti omnium benedictionum, ac Spiritui tuo sancto consummatori omnium charismatum et sanctificatori omnium sanctorum, nunc...

Et dicunt psalmum: Domum tuam decet sanctitudo (*Ps.* XCIII, 5); *aut:* Concupivit anima mea salutare tuum (*Ps.* CXIX, 174).

Et legunt lectionem hanc ex Apostolo (I *Cor.* XII, 28; I *Tim.* III, 1; IV, 11; *Tit.* I, 5-9; I *Tim.* IV, 15; 14; 16).

(I *Cor.* XII, 28). Fratres mei, posuit enim Deus in Ecclesia sua primum Apostolos, post hos prophetas, post hos doctores, post hos operantes virtutes, post hos ⟨habentes⟩ dona sanitatis, et adiutores et rectores (et genera linguarum). — (I *Tim.* III, 1). Fidelis est sermo: Si quis desiderat presbyteratum, opera bona desiderat. — (IV, 11). Haec doce et praecipe. — (*Tit.* I, 5). Idcirco reliqui te Cretae, ut disponas ea quae deficiunt, et constituas presbyteros in singulis civitatibus, 6. qui sine crimine est; 7. oportet enim presbyterum, sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; et non sit iracundus, neque sit vino deditus, non sit velox manus eius ad percutiendum, neque amet lucra foeda; 8. sed sit amans peregrinos, sitque castus et sit iustus, et sit religiosus, et continens seipsum a desideriis; 9. et curam gerat de doctrina verbi fidei, ut possit exhortari per suam doctrinam sanam, et corripere illos qui dissident. — (I *Tim. IV*, 15). Haec meditare et in his esto, ut sciaris ab omni homine quod ante te procedas ⟨*Vg.* ut profectus tuus manifestus sit omnibus⟩. 14. Neque contemnas donum quod est in te, quod datum est tibi per prophetiam et per impositionem | manus presbyteratus. (f. 61v) 16. Attende tibi et doctrinae, insta in eis; haec enim faciens, teipsum vivificabis et illos qui te audiunt.

(*Evangelium dominicae novae* ⟨i. e. *in albis*⟩; *et deinde:* Sancte, qui demisisti tabernaculum tuum *etc.*) (5).

Et Episcopus orat orationem hanc pro seipso inclinatus: Domine Deus virtutum, qui posuisti nos in sorte ministerii huius, qui erudis mentes hominum et scrutaris corda et renes, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et munda nos ab omni sorde carnis et spiritus; aufer peccata nostra tamquam nubem, et tamquam caliginem iniquitates nostras; reple nos virtute tua et gratia unici Filii tui et efficientia Spiritus tui sanctissimi; idoneos nos effice, qui simus ministri Testamenti tui novi, ita ut possimus, uti dignum est nomine tuo sancto, consistere coram Te ad sacerdotale ministerium exhibendum mysteriis tuis divinis; neque derelinquas nos participes fieri peccatis alienorum, quin-

---

(4) Ita quidem ASSEMANI secundum nostrum codicem *Borg.* et *Vat.*; RENAUDOT vero, ac melius, uti videtur, legit ac vertit in praesenti: « offerimus » (DENZINGER, II, p. 89). Alibi, in oratione thuris, nunc praesens tunc praeteritum legitur locis parallelis (v. gr. f. 57v, l. 6 ab imo, praesens; f. 53v, l. 6 ab imo, praeteritum; f. 31r, l. 9 item).

(5) Quae inter uncinos ( ) leguntur, supplentur in cod. *Borg.* iuxta recentem notam marginalem cod. *Vat.* f. 75v.

immo et haec nostra dele; et da nobis, Domine, ne aliquid agamus in aberratione, verum concede nobis scientiam ad elegendum eos qui digni sint, et ad ⟨eosdem⟩ praesentandum Tibi. *Et extollit vocem suam.* Et suscipe Presbyterum, ac perfice servum tuum hunc qui hic praesens est, et exspectat donum tuum caeleste, quia suavis es et multum misericors erga omnes qui Te invocant, et fortis est potestas tua et unici Filii tui ac Spiritus tui sanctissimi, et nunc...

Populus: Amen.

Episcopus: Pax (vobis omnibus).

Populus: Et cum Spiritu tuo.

Archidiaconus proclamat proclamationem hanc: Gratia Domini nostri Iesu Christi, quae omni tempore supplet defectus nostros voluntate Dei Patris cum virtute Spiritus sancti hunc prope adstantem, qui cum timore (6) ac tremore collum animae suae coram altari sancto inclinavit et oculis spiritualibus respicit ad Te, qui habitas in caelis, et exspectat donum tuum caeleste, (illa ipsa vocat) et offert e gradu Diaconorum ad gradum Presbyterorum *talem* Presbyterum ad altare sanctum Ecclesiae sanctae loci *talis*, sub periculo eorum qui ⟨illum⟩ obtulerunt. Oremus igitur omnes, ut veniat super illum gratia Spiritus Sancti, et cantemus ac dicamus « Kyrie eleison » (7).

Episcopus orat inclinatus: Ita, Domine, dignum fac

(6) In cod. *Borg.* lacuna inde a « cum virtute... *ad* cum timore ».

(7) Inde a verbis: (ad altare sanctum) Ecclesiae..., differt cod. *Borg.* sequens recenter scriptam notam marginalem codicis *Vat.*: « (ad altare sanctum) et divinum domus Deiparae Mariae et XII Apostolorum sanctorum, et XL Martyrum inclitorum, et sancti Mar *talis* loci *talis* sub auctoritate Sedis Apostolicae Antiochiae Syriae amantis Christum et dilectae... ». Cf. supra *Borg.* f. 58^v, l. 14-18. — Deest in utroque codice *Vat.* et *Borg.* responsum: « *Populus:* Kyrie eleison », quod alibi, v. gr. f. 58^v, in analogo contextu occurrit.

cum vocatione Presbyteri (8), ut mereatur per clementiam tuam, | quemadmodum aequum est nomini tuo, f. 62^r exhibere Tibi servitutem, et sacerdotio fungi in altari tuo sancto, et consequi miserationes coram Te (9). *Et extollit vocem suam.* Quia Deus misericors es, et Tibi convenit gloria et honor et potestas, et Patri et Spiritui sancto, nunc...

Statim ponit Episcopus palmas suas super Corpus sanctum, et extendit brachia sua et coniungit accipiens de Corpore et ponens super calicem; et iterum secunda vice fert brachia super Corpus et accipit palmis suis ponitque super calicem; et tertia vice extendit brachia sua ⟨ea⟩que super calicem fert ⟨i. e. *tremulo motu ducit*⟩, *et tunc accipit de calice, et palmis coniunctis et coopertis « phedto »* ⟨= *ephod, sacerdotali tunica*⟩ *convertitur ad ordinandum, et manus suas imponit super caput eius et commensurat* (10); *iterum attollit manus suas et expandit brachia sua, fert ac demittit super caput eius; quo ter peracto, tunc ponit dexteram suam super caput eius, et manu sinistra propellit hinc in-*

(8) In cod. *Borg.* hic legitur: « Et extollit vocem suam », iuxta recentem correctionem codicis *Vat.*; dum huius primitivus textus habet talem rubricam infra, prout a nobis vertitur. — Item in margine cod. *Vat.*, eadem recenti manu scriptum, legitur: « Ter: ut » ⟨mereatur...⟩.

(9) Additur in cod. *Borg.* f. 62^r, l. 2-4: « Ita, Domine Deus beatissime, quique regnas super omnia, dignum fac eum vocatione Presbyterorum, ut sacerdotale officium exhibeat mysteriis tuis sanctis, et obtineat miserationes coram Te », iuxta marginalem notam cod. *Vat.* recentius additam pleonastice. Cf. locos parallelos diaconatus (f. 58^v) et hypodiaconatus (f. 55^v), ubi talis additio in textu non habetur.

(10) Ita I. Al. ASSEMANI. Syriace legitur ܡܫܚ, quod primo significat: *ungit*, hinc: *consecrat*. At idem verbum significat: *metiri, mensus est*, quem sensum — in contextu valde singularem — proponit ASSEMANI; dum alii forsitan mallent proponere sensum *consecrandi*. Hanc rubricam brevius exprimit RENAUDOT; cf. DENZINGER, II, p. 90.

de (11); *cumque manus suas « phaino » suo coopertas habet, sinistram circum collum eius ducit et faciem eiusdem tribus vicibus.*

Oratio invocationis Spiritus Sancti sub silentio: Deus magne et mirabilis, qui facis gloriosa et mirabilia, quorum non est numerus, magnus et intellectu inscrutabilis, mirabilis consilio magis quam filii hominum; Tu es Deus noster, qui nosti occulta cordium, qui perspicis cogitationes et scrutaris renes, quia nihil quidquam absconditum est ab oculo iustitiae iudiciorum tuorum. Tu, Deus, nosti et vitam huius servi tui, Tu qui nosti quae futura sunt. Tu es, qui in omnibus generationibus elegis ad ministerium sanctum illos, qui placent Tibi: elege et hunc servum tuum in presbyterum, et da ei ut moribus immaculatis ac fide indeclinabili recipiat donum magnum Spiritus tui sancti, ita ut sit dignus sacerdotio fungi secundum evangelium regni tui, stare coram altari tuo sancto, offerre munera et sacrificia spiritualia, renovare populum tuum per ablutionem regenerationis. Omnibus ostendat ⟨se⟩ lampadem esse lucis unigeniti Filii tui, Tibi coaeterni, ad ordinandam et or-
f. 62v nandam Ecclesiam tuam sanctam, ad faciendum | bonum per impositionem manuum suarum, adeo ut currat verbum Evangelii tui, et glorificetur nomen tuum, quemadmodum in universa creatura, ita etiam in Ecclesia quae concredita est huic servo tuo. — *Et conversus ad altare et extollens vocem suam.* — Ita ut et ipse dum occurrit in adventu altero de caelis Domini nostri, Dei magni et Salvatoris nostri Iesu Christi, in ordine presbyterorum recipiat mercedem bonam gubernationis bonae, per multitudinem gratiae unigeniti Filii tui, per quem et cum quo convenit gloria et honor et potestas cum Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Populus: Amen.

---

(11) Renaudot: « sinistramque movet huc et illuc » (*l. cit.*).

Episcopus: Pax...

Diaconus: Capita nostra inclinamus.

Episcopus inclinatus. Respice in nos, Domine, et in ministerium nostrum, et munda nos ab omnibus inquinamentis, dans e caelo gratiam huic servo tuo, ut mereatur per donum tuum irreprehensibiliter sacerdotale officium Tibi persolvere, et obtineat misericordias tuas cum omnibus illis qui a saeculo Tibi placuerunt. *Et extollit vocem suam* (12). Quia Deus volens misericordiam et benignitatem es Tu, et Tibi convenit ab omnibus honor et adoratio ac Filio et Spiritui Sancto nunc... (13).

Et conversus ad ordinandum et ponens dexteram suam super caput eius, dicit: Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei.

Archidiaconus proclamat: Talis sacerdos ad altare sanctum Ecclesiae sanctae, loci *talis.*

Rursus Episcopus addit: Talis presbyter ad altare sanctum Ecclesiae sanctae loci orthodoxorum praenominati in nomine Patris Amen † et Filii Amen † et Spiritus Sancti in vitam aeternam. Amen †; — *in unaqua-*

---

(12) In cod. *Borg.* f. 62v, l. 13-17 additur in textu sequens marginalis nota recens codicis *Vat.:* « Quia tu es Dominus et Deus omnium, et a Te veniunt omnia dona bona, et ad Te respiciunt exspectantes servi tui isti, ut perpetuo custodiantur charismata tua in animabus eorum, et recipientes sint atque recepti a gratia tua in animabus suis exsultent, et animae ipsorum charismata tua desiderantes, de tuis charismatis impleantur atque illuminentur ». — Eadem additio recenter facta est in chirotonia diaconatus; cf. supra f. 59r ⟨in fine⟩ et 59v.

(13) Notandum est, in orationibus, quae certo identicae sunt, fortuitas occurrere leves differentias, quae in editione typica erunt vitandae. Hic v. gr. « cum omnibus qui placuerunt Tibi »; dum supra f. 59r: « cum omnibus sanctis tuis... » (haec lectio est praeferenda). Item in conclusione orationis, variae habentur formae adauctae absque speciali ratione, quandoque mendo vel lubitu amanuensium. In editione typica *uniformitas* in orationibus identicis servanda est.

que invocatione faciens super frontem eius pollice suo signum crucis honorandae (14).

Et cum perfecit tres cruces, conversus ad altare orat orationem hanc inclinatus (15). Gratias agimus Tibi, Domine noster omnipotens, in omnibus et propter omnia; et laudamus atque glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnificasti facere nobiscum, et effudisti donum tuum super hunc | servum tuum. (f. 63^r) Et petimus a Te, et obsecramus Te, Domine, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et complaceat Tibi in chirotonia hac Presbyteratus quae facta est super hunc servum tuum, per adventum Spiritus tui sanctissimi. Et superadde vocationi electionis sanctitatem ac gratiam bonitatis tuae; et elege nos et eum in bonum, et da ei ut operetur in talento quod accepit. — *Et extollit vocem suam.* — Ut cum omnibus qui a saeculo placuerunt voluntati tuae, accipiat mercedem oeconomorum fidelium et sapientium in altero de caelo adventu Domini, Dei vero magni et Salvatoris nostri Iesu Christi, quocum Tibi convenit laus et honor et adoratio et imperium cum Spiritu sanctissimo et bono.

Iterum conversus ad ordinatum Episcopus apprehendit eum manu ipsius dextera, et erigit eum. Archi-

---

(14) Ita ter facienda videtur crux iuxta explicitam rubricam. — Attamen cod. *Vat.* 77^{r-v} habet *quinque* cruces ita: « praenominati †, in nomine Patris † Amen † et Filii † Amen, et Sp. ... Amen † ». — Codex *Borg.* vero f. 62^v habet quattuor: « praenominati †, in nomine P. Amen † et F. Amen † et Spiritus... Amen † ».
— In margine inferiore *Vat.* f. 77^v legitur haec primitiva nota, male exscripta in codice *Borg.* f. 62^v: « Impositio manus demonstrat ubertatem sacerdotii, quod ipsis confertur, eosque docet perficere omnia ministeria sacerdotalia. Signa crucis mortificationem omnium concupiscentiarum corporis denotant et indicant ». Versio latina I. Al. ASSEMANI nullum praebet sensum, quia notae variae lineae in cod. *Borg.* male sunt dispositae.

(15) Cf. supra f. 59^v. Iterum differentiae, praeter intentas, nonnullae certo fortuitae occurrunt.

diaconus ⟨*dicit*⟩: Benedic, Domine mi. *Episcopus autem apprehendit orarium, quod ei superimpositum est, et traducit illud super humerum eius dexterum ad partem anteriorem, ac dicit:* Ad laudem et honorem et decus et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis, et ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Et respondent Clerici idem ipsum: Ad laudem...

Et rursus accipit Episcopus « p^eriso », seu casulam, et induit eum, atque idem: Ad laudem..., *dicit tertia vice. Et respondent post ipsum. Statim incipit hymnum. Dum clerici dicunt hymnum, Episcopus manu sua apprehendit ordinatum, et admovet eum, qui dat pacem altari, id est mensae, et osculatur manum Episcopi. Et postea dat ei pacem ipse Episcopus, iubetque ut omnes ei pacem dent. Et post haec dant illi suavitates, et praecipit ut intonet « sedro » communem. Et statim obsignat Episcopus carbonem corporis sancti* ⟨i. e. *particulam panis consecrati*⟩ *in calice, et participem illum facit; et tunc praecipit ei, ut ipse participem faciat ceteros.*

Si autem plures fuerint ordinandi, ubicumque positum est verbum dicendum pro una persona, oportet illud dicere pro pluribus, veluti: suscipe presbyteros, *et* perfice servos tuos qui adstant et exspectant, *et similia reliqua.*

Et tunc legit super eos admonitionem, quae in homologia.

Explicit et hic ritus chirotoniae presbyterorum probatissime, exactissime ac perfectissime. — Orate, quaeso, prudentes pro peccatore, qui scripsit secundum virtutem suam.

XVI

CHIROTONIA PLURIUM (1)

| *Et quando res necessario exiget, ut Episcopus presbyteros et diaconos eodem tempore ordinet, talem* ⟨vel *sequentem*⟩ « *sedro* » *communem dicat.* f. 63v

Christe Deus noster, dator et largitor donorum abundantium, qui prophetas ditasti charismatis Spiritus sancti, et replesti eos divitiis absconditis scientiae tuae, et erudisti eos ad recipiendas doctrinas vivificantes, et ordinasti per eos adventum tuum divinum, et pontifices elegisti, ac sacerdotes constituisti, ac principes sacerdotum ⟨*seu* episcopos⟩ unxisti. Primos quidem sanguine animalium honorasti, novissimos autem sanguine tuo salutari; nam et illos in tabernaculo temporaneo et mutando constituisti; hos autem in Ecclesia tua, quam ante fundationem mundi possedisti; illos in sacerdotio legis typice per imagines et parabolas obsignasti; hos autem per magnitudinem talenti tui intellectualis elegisti ad ministerium tuum, quod est in veritate, Corpus verum quod videtur et sanctificatur Spiritu tuo sancto. Dignos fac, Domine, servos tuos hos, qui coram altari tuo sancto colla animarum suarum inclinarunt, et ad caelum spiritualiter oculo animae respiciunt, ut exinde recipiant donum tuum divinum, et cum puritate mereantur recipere charisma tuum divinum, et dum sacerdotium verum confers eis, cohonesta eos fide et sanctitate, et largire eis impositionem manus divinae, cum myro puro iam perfecti fuerint; et mysterium doni, charisma novum sacerdotii induant, eoque

---

(1) Initio, in cod. *Vat.* f. 78r, legitur in margine, manu recenti: « Servit sacerdotibus et diaconis ». Nota non exscripta in cod. *Borg.* f. 63r.

fulgeant nitidis rectisque moribus praediti vetustatem exuentes et mutantes, Iesu instar, filii Iosedech sacerdotis, vestes sordidas, quibus amicti erant in charisma Spiritus Sancti, quod a Te datur eis per manus mei peccatoris, quem constituisti ad ministerium tuum. Insuper, Domine, doce nos quae conveniunt et expediunt ministerio tuo, et Ecclesiam tuam exalta in quiete perpetua, et constitue in ea sacerdotes veros, qui dispensent recte verbum veritatis; coniunge eos vinculo confessionis verae, et diaconos indue armatura invisibili, et hypodiaconis concede oculum lucidum, quo contemplentur sanctificationes tuas. Parce omnibus nobis clementia tua suavi, et ipsos servos tuos hos, qui inclinati sunt coram magnitudine tua, constitue in ministeriis
f. 64^{r} cum sacerdotibus et diaconis | puris ac veris, et fac eos participes omnium bonorum, ut mereantur gloriam efferre et confessionem offerre Tibi et Patri tuo ac Spiritui tuo sancto.

XVII

ALIA CHIROTONIA COMMUNIS

Item « sedro » alius, qui congrue dici potest in chirotonia presbyterorum et diaconorum ac subdiaconorum, qui eodem tempore ordinantur. En scriptus est supra in ritu consecrationis myri, ille ⟨scilicet⟩ cuius «prooemium » sic incipit: Gloria *etc.* uni Deitati (1). *Et hoc est principium « sedro »* : Deus dator donorum magnorum et distributor... (2).

(1) Evanuerunt nonnulla verba in cod. *Vat.* f. 79^{r}, l. 13, quae non sunt exscripta in codice *Borg.* f. 64^{r}, l. 6 partim vacua relicta.
(2) Cf. f. 15^{v}, supra p. 30.

XVIII

ELECTIO ARCHIDIACONI

Item ritus ⟨servandus⟩ in electione Archidiaconi, hoc est Principis Diaconorum.

Post sacrificium ⟨missae⟩ adducitur qui elegitur ut sit archidiaconus. Stat coram altari habens super se orarium diaconatus sui (1).

Incipit Episcopus orationem initii shuroio, quae scripta est in ritu super diaconos; et dicunt responsorium: Miserere mei... Propitius esto mihi *etc. Deinde Episcopus intonat sedro ⟨*i. e. *ordinem⟩ hunc.*

Primum prooemium Gloriam etc. (2). Illi bono in natura et largitori charismatum divinorum filiis gratiae; Illi ⟨qui⟩ trinus in personis et singularis in natura, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, unus Deus verus, cui laudes et benedictiones in hoc instanti.

Sedro. Deus, qui confirmasti Ecclesiam tuam sanctam charismatis divinis, et clarificasti pastores tuos donis tuis divinis, ita ut etiam illi adaugeant et conferant unicuique filiorum spiritualium pro convenientia et electione gratiae tuae divinae, (tu, Domine misericors, confirma gratiam tuam divinam) (3) super hunc servum tuum; et elege eum ut sit caput diaconorum secundum ordinem Stephani primogeniti martyrum, dita

(1) Cod. *Borg.* addit: « et caput apertum ».
(2) RENAUDOT vertit: « *Tum Episcopus incipit Sedram* ». Coram etc. *Prooemium.*
Deinde textum ita complet: « Gloriam, laudem et exaltationem referre debemus illi bono per naturam... » (DENZINGER II, p. 86). Cf. f. 60^{r} initium chirotoniae sacerdotalis, ubi eadem sequela precum occurrit.
(3) In codice syriaco tam *Vat.* (f. 79^{v}, l. 7) quam *Borg.* (f. 64^{r}, l. 9 ab imo) habetur lacuna, prout iam observavit I. Al. ASSEMANI. Completur textus secundum versionem RENAUDOT (*op. cit.* p. 86 sq.).

eum sapientia tua vera, et cohonesta eum ad gubernationem rectam et sine acceptione personarum; intellectum eius illumina radiis coruscationum tuarum, et concede illi fiduciam perfectam; da ei ut in praeceptis tuis perseveret nocte ac die per gratiam tuam et unici Filii tui et Spiritus tui Sancti, nunc...

Et dicunt cantum ex ordine ⟨seu *officio*⟩ *Stephani. Oratio incensi Apostolorum et Martyrum. Dicunt psalmum:* Laetentur caeli (*Ps.* XCVI, 11).

Et legunt ex Actis (*Cap.* VI, 2^a, 3-6; XII, 25; XIII, 2-3).

Carissimi mei. Tunc (VI) 2^a. vocaverunt Apostoli
f. 64v duodecim | universum coetum discipulorum, et dixerunt eis: 3. Considerate ergo, fratres mei, et elegite ex vobis septem viros ⟨boni⟩ testimonii, plenos spiritu Domini et sapientia, et constituemus eos super hoc negotium, 4. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit hic sermo coram omni populo; et elegerunt Stephanum, virum plenum Spiritu Sancto, et Philippum et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et cum orassent, imposuerunt super eos manum. — *Cap.* XII, 25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Ierosolymis in Antiochiam, postquam perfecerunt ministerium suum, et duxerunt secum Ioannem, qui cognominatus est Marcus. (XIII) 2. Et dum illi ieiunarent, orarent et supplicarent Deo, dixit illis Spiritus Sanctus. Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod vocavi eos. 3. Et postquam ieiunarunt et orarunt, posuerunt super eos manum, et dimiserunt eos.

Episcopus orat inclinatus. Domine Deus omnipotens, largitor charismatum divinorum, concede gratiam tuam magnam et ineffabilem huic servo tuo, ut capitis stephanici (4) instar praefulgeat moribus Tibi placitis:

(4) Renaudot: « sicut princeps *ordinis stephanici* » (*l. cit.*

erudi eum scientia, instrue eum consideratione, orna eum humilitate convenienti ministerio suo spirituali, illustra per caritatem quae ⟨sit⟩ absque personarum acceptione, per gratiam tuam et unigeniti Filii tui ac Spiritus Sancti nunc... — *Et extollit vocem suam.* — Et suscipe per clementiam tuam hunc servum tuum, quem vocavit gratia tua ad ordinem stephanicum, quia suavis es et multae misericordiae, Tibique laudem attollimus atque unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto, nunc...

Et conversus Episcopus facit signum crucis ter super frontem eius, dicens: Perficitur *talis* Archidiaconus caput diaconorum pro Ecclesia sancta loci *talis*, in nomine Patris Amen †, et Filii Amen †, et Spiritus Sancti in vitam aeternam Amen † (5).

Tunc incipiunt et dicunt hymnum Stephani, et dat ei baculum suum pastoralem gestandum, et diaconi omnes circa ipsum stant, et ascendunt ad bêma ⟨i. e.
suggestum⟩, *et legit ibi Evangelium,* | *lectionem festi* f. 65r
Stephani, si fuerit dies festus eius; et si fuerit dies alius, legit ex Luca, ubi dicit (X, 1): Designavit Dominus alios septuaginta... *Si non fuerit bêma, circumeunt atrium* (6), *et in porta altaris* ⟨seu *sanctuarii*⟩ *legit Evangelium. Et post lectionem proclamant Diaconi:* Ἄξιος *ter. Et adhuc dicunt hymnum:* In atrio domus Dei participant...

Explicit et hic quoque ritus perfecte. Venia scribenti.

Et cum perficitur Archidiaconus, qui propter mentem suam et rectitudinem morum suorum, ac suam sapientiam, doctrinam et

p. 87), quasi in codice nostro (*Vat.* et *Borg.*) deesset vox ܛܟܣܐ: *ordo*.

(5) Ita quidem optime ponuntur cruces tres in codice *Borg.* — In codice autem *Vat.* sic: « In nomine Patris † Amen † et Filii † Amen † ... », nulla cruce posita post « Spir. S. ».

(6) I. Al. Assemani: « Circulum unum conficiunt ».

religionem conspicuam elegitur; addit et praecipit ei Episcopus, ne declinet in acceptionem personarum in suo ministerio, ac speciatim in iudiciis ⟨occurrentibus⟩ inter fratres; non honoret unum adulatorie, id est illegitime, et alium ex passione contemnat; neque sibi arroget honorem excedentem in lectionibus aut in reliquis; neque scandalizet clerum; sed semper et omnibus modis secundum legem se gerat, atque possideat omnes homines, quia Deus adest et intuetur eum.

XIX

ELECTIO CHOREPISCOPI AUT PERIODEUTAE SEU VISITATORIS AUT ABBATIS AUT ABBATISSAE

Cum elegitur ordinandus aut Chorepiscopus, aut Periodeuta, id est Visitator, aut Abbas, aut Abbatissa, admonet Episcopus eum, qui congruus est ad unum ex his gradibus, et stat coram altari; atque Episcopus incipit orationem initii ⟨shuroio⟩ : Gratia... ; *et dicunt responsorium:* Miserere mei... Peccavi Tibi, qui peccatoribus misereris; *en scriptum est infra in ritu paenitentium* (f. 144^{v}).

Et postea dicunt « cyclion » septimum. Domine, dilexi ministerium domus tuae (*Ps.* XXVI, 8). *Et:* Sacerdotes tui induant iustitiam (*Ps.* CXXXI, 9). *Et in « gloria » dicunt*, Ecclesia sancta confirmata fuit fide.

Et Episcopus incipit « sedra » : Domine bone et multorum donorum, qui erudis et visitas; *en scriptus est infra in ritu paenitentium...*

Et dicunt cantum communem. Et post orationem incensi legunt lectionem hanc ex Apostolo (II *Tim.* II, 1-3; 7^{b}-8^{a}; 11-12^{a}; *Tit.* I, 10^{a}, 11^{b}; II, 1-2; 6; 3; 7-8).

(II *Tim.* II) 1. Tu ergo diligens esto in gratia, quae ⟨est⟩ in Iesu Christo. 2. Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fratribus fidelibus, qui idonei erunt et alios docere. 3. Sustine mala sicut bonus miles Iesu Christi. 7^{b}. Dabit tibi Dominus in omni re sapientiam. 8^{a}. Memor esto Iesum Christum resurrexisse ex mortuis. 11. Fidelis sermo : Nam si mortui sumus cum eo, etiam cum eo vivemus. 12^{a}. Et si sustinuerimus, regnabimus quoque cum eo. (*Tit.* I) 10^{a}. Sunt enim multi inoboedientes, | vaniloqui et deceptores f. 65^{v}

mentium hominum, 11[b]. docentes doctrinas malas propter lucra immunda. (II,) 1. Tu autem loquere quod decet sanam doctrinam. 2. Doce ut sint senes ⟨= presbyteri⟩ vigiles in consiliis suis, sintque casti, sintque puri, et sint sani in fide, in dilectione et patientia. 6. Et ab illis qui iuvenes sunt, ita exige, ut sint casti. 3. Anus similiter sint in habitu convenienti timori Dei. 7. In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum; et in doctrina tua sit tibi verbum sanum, 8. quod castum sit et non corrumpat, et nemo ipsum contemnat; ut is qui stat adversus nos, confundatur, cum non inveniet ut dicat de nobis aliquid odibile.

Episcopus orat erectus, ⟨versa⟩ facie ad orientem. Deus largitor omnium donorum bonorum, qui intellegis omnia opera hominum, et perspicis omnes vias eorum; qui providentia tua comprehendis illos qui Te indigent, supplicamus Tibi, opitulare servo tuo huic, et da ei gratiam et diligentiam et vigilantiam et prudentiam et virtutem ac potentiam, ut placeat Tibi in ministerio hoc quod concreditum est ei; et dignum fac ipsum, ut pure et sine labe se gerat in eo, ad dirigendum per vias rectas, et ad iudicandum iudicia iusta, et ad amputandum ab illis, qui sub manu eius sunt, omnem impetum irrationalem et imprudentiam adversus fidem orthodoxam. Da illi conversationem immaculatam et consuetudinem irreprehensibilem (1), ut omnia faciens in laudem tuam, Deus Pater, et in aedificationem Ecclesiae tuae, et in profectum populi tui, consequatur gratiam et miserationes coram Te, et hereditet partem oeconomorum fidelium et prudentum per miserationes unige-

(1) Hic in cod. *Borg.* non habetur nisi crux rubra; scribit vero I. Al. Assemani: « Et extollit vocem suam ». In cod. *Vat.* f. 81[v], l. 8, loco correspondenti, habetur recenter posita crux et in margine addita sequens nota, scripta rudi manu: « Ponit dexteram suam super caput ordinandi, et dicit: ut omnia... ». Hoc autem fit paulo post. Unde praeferenda est additio Assemani, aut neutra fiat, prout est in primitivo textu cod. *Vat.*

niti Filii tui, per quem et quocum Tibi convenit gloria et honor et imperium cum Spiritu sancto, nunc...

Et conversus ad eum, ac ponens dexteram suam super caput eius, orat dicens: Det tibi Deus ut sis in aedificationem bonam, et in educationem ac profectum dexterum fratrum, et concedat tibi intellegentiam, qua sollicitus sis in increpandis et redarguendis illis qui errant, ad consolandum cum fiducia et pietate, et ad suscipiendum caritative; et ut sint opera tua in verecundia et castitate, ita ut cum omnia, quae facis, in laudem Dei fuerint, et ad progressus fratrum in timore Dei, invenias | gratiam et miserationes, et heredites partem f. 66r
gubernatorum fidelium et prudentium ac laborantium in pietate et sanctitate, per miserationes eiusdem Domini Dei. Amen.

Et tunc incipiunt hymnum: In atriis domus Dei nostri participant de mysteriis sanctis.

Explicit et ritus hic perfecte (2).

(2) In fine huius ritus habetur in margine cod. *Vat.* f. 81[v] magna nota marginalis primitiva, cuius haec sunt prima verba: « Si superiorissa monasterii erit », cetera evanuerunt (propterea non est exscripta haec nota in cod. *Borg.*). Translata autem prima verba videntur referenda ad sequentem ritum chirotoniae diaconissae.

XX

ORDINATIO DIACONISSAE

Chirotoniam, seu ordinationem, faciebant aliquando et etiam Diaconissis; ac propterea scriptus est ritus de eis in codicibus antiquis. Fuit enim opus aliquando Diaconissis, potissimum propter baptismum mulierum. Qui enim ex ethnicis aut ex Iudaeis discipuli fiebant christianitatis, et accedebant ad baptismum sanctum, per manus Diaconissarum ungebant sacerdotes et pontifices mulieres quando baptizabantur. Idcirco et ordinationem seu chirotoniam faciebant illius quae elegebatur ut esset Diaconissa.

Nos autem quia videmus hoc a longo tempore cessasse in Ecclesia, eo quod in nativitate vel pueritia baptizantur qui baptizantur, et non esse indigentiam Diaconissae. quia non sunt mulieres baptizandae. Item propter modos alios <seu *aliis de causis*> *non scripsimus hic hunc ritum, tametsi in pluribus exactisque libris perfecte accurateque exaratis reperiatur.*

Si quis autem Pontifex propter urgentem necessitatem aliquando Diaconissam ordinare velit, mulierem ordinet de cuius castitate testimonium habeat, quaeque ad senectutem prope accedat; quoniam sancti etiam Apostoli et Patres talem ordinari decreverunt.

Quae autem sint officia Diaconissae Mar Iacob Edessenus *demonstrat dicens sic* (1). *Potestas intra altare nulla omnino est ei; quoniam etiam quando ordinatur, in Ecclesia solum consistit. Et potestas eius haec est: ut altare verrat, et lampades in ipsa san-*

---

(1) Nomine proprio huius Iacobitae omisso, scribit I. Al. Assemani : « Doctores demonstrant, dicentes sic... ».

ctuarii domo illuminet; et haec ⟨quidem facit⟩, quando non est presbyter aut diaconus, qui prope sit. Potest etiam accipere Mysteria ⟨eucharistica⟩ ex theca, ubi non adsit presbyter aut diaconus, et dare mulieribus aut pueris. Ex altari vero non potest ea accipere, (neque) super ipsum ponere, neque mensam vitae quoquomodo tangere. Quando mulieres adultae accedunt ad suscipiendum baptismum, ungat eas iussu sacerdotis; et visitet atque ungat (etiam) mulieres aegrotantes. Haec est eius potestas, et ad similia diaconi ⟨habet ius⟩; et propter haec ordinantur ad ministrandum coram sacerdotibus et episcopis in Ecclesia sancta Dei (2).

---

(2) In hac notitia desumpta ex Mar Iacobo Edesseno, finis linearum (*Vat.* f. 82^r) partim evanuit. Bis restituimus verbulum, scil. (neque) et (etiam), quae in codice *Borg.* non leguntur, relicto spatio vacuo.

XXI

RECONCILIATIO HAERETICORUM (1)

Item ritus super illum qui convertitur ex haeresibus Nestorii, aut Chalcedonensium (2), *et Iulianistarum, aut ex quacumque haeresi, sive Episcopus fuerit, sive sacerdos, aut diaconus.* f. 66^v

Dicunt responsoria illa quae scripta sunt infra in ritu ⟨servando⟩ erga paenitentes; et ponit ⟨vel *recitat*⟩ *Episcopus « sedro » paenitentiae; et dicunt cantum, et legunt lectiones, quae pariter en scriptae sunt infra in ritu pro paenitentibus* (f. 144 sq.).

Et ubi haec omnia ante portam altaris perfecta fuerint, tunc introducunt paenitentem ad altare, et stat coram mensa vitae apertus, et qualibet casula nudatus et cucullo, siquidem illa habuerit.

Et praecipit ei Episcopus, ut anathematizet unamquamque haeresim nominatim, et distincte illam ex qua conversus est, eiusque auctorem, omnesque qui eidem consentiunt lingua et corde.

Et postea exigit ab eo ut confiteatur coram tota Ecclesia Dei et praedicet confessionem orthodoxam, quae est de Trinitate sancta, quod sit una essentia et una virtus et una voluntas et una efficientia; personae autem tres et ⟨tria⟩ nomina; Deus vero unus; et quod unus de Trinitate hac eadem, Filius et Verbum Deus, factus est homo, cum incarnatus est et humanatus ex Maria Virgine Genetrice Dei, permanens sine mutatione, et est

---

(1) Cf. DENZINGER I, p. 465-467 (ex RENAUDOT).

(2) Hoc ultimum nomen omittit I. Al. ASSEMANI. Iacobitae reiciunt concilium Chalcedonense (an. 451), in quo damnatus est error Monophysitarum.

ex divinitate et ex humanitate una natura incarnata, una persona composita (3), *unus Dominus, unus Christus, qui non dividitur in duas personas et duas naturas* (4), *aut duos filios post unionem inexplicabilem.*

Et ubi paenitens confessus est haec omnia, et posuit crucem suam in libello fidei, tunc procidit super faciem suam coram throno. Et Episcopus ad orientem conversus, hanc orationem orat inclinatus.

Deus Pater omnipotens, qui probas corda et nosti occulta hominum, qui ab initio per misericordiam tuam creasti nos, et per incarnationem unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi ab errore nos liberasti, et a dissipatione erga res vanas nos collegisti, et ad ovile tuum divinum nos induxisti, et per descensum Spiritus Sancti vocasti, et admovisti nos ad ministerium hoc sacerdotale. Tu etiam nunc, o amator hominum Domine, gratos nos habe et placeat Tibi ministerium nostrum, ac suscipe servum tuum hunc, qui rediit ad Te, et agnovit veritatem tuam post pristinum errorem haereseos, in quo fuit, et confessus est coram imbecillitate nostra veritatem tuam ; dignum fac eum, Domine, venia pec-
f. 67r catorum. — | *Et extollit vocem suam.* — Ut numeratus cum grege agnorum tuorum recipiat a Te retributiones iustas, in die manifestationis tuae gloriosae, et cum agnis ad dexteram constitutis referat Tibi gloriam et confessionem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo, et nunc...

Et conversus ad eum in occidentem, ponens dexteram suam super caput eius, orat orationem hanc inclinatus. Domine, Domine Deus omnipotens Pater, qui misisti Dominum nostrum et Deum nostrum ac Salvatorem nostrum Iesum Christum, qui vis ut omnes homines convertantur et ad cognitionem veritatis perve-

(3) Loco verborum : « una natura... una persona », quae continent errorem, scribit I. Al. Assemani tantum : « una persona ».
(4) I. Al. Assemani omittit : « et duas naturas ».

niant : Tibi inclinavit hic servus tuus caput suum et colla mentis suae, confugiens ad tuam misericordiam et fugiens ab operibus odiosis et fraudibus calumniatoris ⟨*i. e.* diaboli⟩, quae ⟨habentur⟩ in haeresi *tali*. Rogamus et deprecamur misericordiam tuam, Domine, ut mittas super eum providentiam tuam et revertatur ad eum Spiritus tuus sanctus, atque emundetur ab omnibus cogitationibus malis et passionibus odiosis ; et concede ei ut recte ambulet in via mandatorum tuorum dominicorum, dimittens et auferens omnes praevaricationes eius, quas scienter vel ignoranter ⟨commisit⟩ ; et numera eum cum populo tuo et admisce eum hereditati tuae ; benedic eum et sanctifica eum. — *Et extollit vocem suam.* — Et reple eum virtute tua, dirige eum ad voluntatem tuam bonam per Dominum nostrum et Deum nostrum ac Salvatorem nostrum Iesum Christum qui promisit peccatoribus : « Vocate, et ego respondebo ; pulsate, et ego aperiam » (5) ; per quem et cum quo Tibi convenit gloria et honor et imperium cum Spiritu tuo sancto et bono.

Et sufflat in faciem eius in formam crucis ter, dicens: Redde mihi suavitatem tuam et salutem tuam ; et Spiritum tuum sanctum ne auferas a me. Et Spiritus tuus gloriosus corroboret me (6).

Et rursus conversus ad orientem, orat orationem hanc inclinatus. Deus, qui a Cherubim benediceris et a Seraphim sanctificaris et ab Angelis glorificaris, nullius ⟨gloria⟩ indigens, qui semper curam habes de salute generis nostri, ac vis paenitentiam nostram et conversionem nostram ad Te ; Tu, Domine, per magnam misericordiam tuam audi orationes imbecillitatis nostrae, et suscipe deprecationes tenuitatis nostrae, et demitte dexteram tuam plenam misericordia et omnibus auxiliis super servum tuum hunc ; eumque benedicito omnibus

(5) Cf. *Matth.* VII, 7.
(6) Cf. *Ps.* LI, 12-13.

benedictionibus tuis; absterge et munda eum ab omni errore haeretico; parce debitis eius et dimitte culpas f. 67v eius; | sanctifica animam eius et munda corpus eius. — *Et extollit vocem suam.* — Funda in mente eius fidem veram et orthodoxam; corrobora eum ad custodienda mandata tua et ad faciendam voluntatem tuam; numera eum cum ordine electorum tuorum, et praesta illi fiduciam coram te in die adventus tui secundi, ut cum omnibus sanctis tuis referat Tibi gloriam et confessionem, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc...

Et iterum conversus ad occidentem, signat eum in fronte tribus crucibus, dicens: Signatur *talis* ut sit agnus in ovili sancto, et ovis in grege Christi, numeratus cum filiis Ecclesiae sanctae, et conviva fidei orthodoxae, in nomine Patris Amen †, et Flii Amen †, et Spiritus Sancti in vitam aeternam. Amen †.

Et deinde si Episcopus fuerit is qui receptus est, ponit super eum Patriarcha ipse thiaram et ordinem <*scilicet, indumenta propria Episcopi*>, *dicens:* Ad laudem et honorem Trinitatis sanctae...

Si Sacerdos fuerit, Episcopus dexteram eius apprehendit, erigit eum, eique superimponit amictum, dicens: Ad laudem...

Quod si diaconus fuerit, orarium imponit super eum, et dicit: Ad laudem etc.

Si autem saeculares fuerint, haec perficit erga eos ante portam altaris. — Et si monachi, similiter ante portam altaris, imponens eis cucullos et reliqua.

Et statim participes fiunt sacrorum mysteriorum quisque secundum suum ordinem et statum; et imponit eis Episcopus canones, unicuique prout ipsi congruit, docet eos consuetudines et doctrinas fidei verae. Et deinde orat orationem hanc, et concludit.

Deus, qui ades omnibus Te petentibus, et adiuvas omnes Te invocantes, ac misereris omnibus ad Te venientibus, et audis vocem omnis qui pulsat ad portam tuam, miserere nobis peccatoribus per multas tuas miserationes, et exaudi humilitatem nostram, et annue petitionibus nostris, atque veniam imbecillitati nostrae tribue, et Tibi gloriam et confessionem attollimus, Pater et Fili et Spiritus Sancte, et nunc...

Explicit et hic quoque ritus. Omnis autem qui orat pro peccatore qui scripsit, recipiat et ipse iuxta orationem suam duplum.

XXII

CHIROTONIA PATRIARCHAE ET METROPOLITAE ET EPISCOPI

Item scribimus ordinem sublimem chirotoniae laudabilis ob consummatam perfectionem charismatum sacerdotalium Spiritus deificantis, per quam Patriarchae electi promoventur in ordinem proprium, qui primus est in celsitudine excelsa, et Metropolitae etiam et Episcopi, qui per manus ipsius Patriarchae ordinantur in suis gradibus.

⟨CHIROTONIA PATRIARCHAE⟩

| *Et primum oportet declaremus ⟨ea quae pertinent⟩* f. 68r
*ad electionem et promotionem ⟨*seu *ordinationem⟩ Patriarchae, id est « Patris principum », quando elegitur in Spiritu Sancto electione, quae per consensum communem totius Ecclesiae Dei intellegitur divinitus facta, quemadmodum per magnum Dionysium praedocuit ipse Spiritus Sanctus* (*).

(*) ⟨*In margine haec leguntur, quae in textum videntur referenda*. Ita I. Al. Assemani⟩ (1). Sancti Dionysii Athenarum. De sorte autem divina illa, quae cecidit super Matthiam (2). Alii quidem aliter dixerunt, neque recte, sicut existimo. Sententiam meam et ego dicam : censeo sortem dicta fuisse verba divina ad charisma aliquod summi Dei, et indicabat turbae illi Pontificum, quod ex electione divina enotuit. Verumtamen non oportet Pontificem divinum commotione alta animae suae perficere consummationes ⟨*seu* ordinationes⟩ sacerdotales, sed perficiat eas pontificaliter et dextere per iussum Dei qui ipsum movet.

---

(1) Extrema verba huius notae marginalis in codice *Borg.* a glutinatore abscissa sunt, prout et alibi accidit. Ea vero I. Al. Assemani integra legit ac vertit, cuius versionem libere sequimur. In cod. *Vat.* autem iam non clare apparet.

(2) Cf. *Act. Ap.* I, 26.

Oportet quod, si possibile est et tempus opportunitatem dat, omnes Pontifices, qui reperiuntur in Ecclesia Dei per universum orbem, sint praesentes in synodo, hoc est in congregatione. Sin autem plures ob urgentes causas venire nequeunt, consensus eorum qui non veniunt praesentetur cum illis qui congregantur. Et cum synodi caput adfuerit, et 12 Pontifices, aut plus aut minus, cum ipso, et consensus reliquorum Religiosorum ⟨i. e. *Episcoporum*⟩ *fuerit cum eis, promovent* ⟨seu *ordinant*⟩ *Patriarcham eodem prorsus ordine chirotoniae; id est, iisdem orationibus et ministeriis, quibus ipse Patriarcha promovet* ⟨seu *ordinat*⟩ *Metropolitas et Episcopos, promovent eum, quia una est virtus et unum est charisma pontificatus; gradus autem distincti sunt in ordinibus suis.*

Et propterea in chirotonia Patriarchae tres sunt modi, qui sunt eius proprii. Primum illud, quod sorte, id est consensu omnium Episcoporum elegitur; quod demonstrat ipsum ⟨esse⟩ Patrem communem totius Ecclesiae et Patrem Patrum. Secundo. Invocatio Spiritus Sancti, quae adscribitur Clementi, quam inferius describemus, super Patriarcham solum dicitur ab Episcopis illis qui promovent ipsum. Tertio. Item baculus, id est ferula quam tenent omnes et singuli Episcopi unus post alium iuxta praecedentiam suam, ⟨deinde⟩ assumunt dexteram ⟨manum⟩ electi Patriarchae eamque elevant super ⟨manus⟩ omnium. Et per hoc demonstratur, quod voluntate et consensu totius Ecclesiae, in qua sibi complacet et operatur Spiritus Sanctus, data est ei potestas singularis super omnes ordines Ecclesiae sanctae Dei.

Propterea cum scribit per manus suas et praedicat syngrapham suam, iuxta legem, de definitione confessionis orthodoxae, quam debet custodire, et de iustitia ac rectitudine morum, et de eo quod custodiet canones apostolicos et recipiat Patres probatos et notos et tres

synodos (3), *et quod reprobet haereticos nominatim, et quod det ipse se ad laborem ac sollicitudinem pro quiete et stabilitate totius Ecclesiae Dei, et conciliet ac reuniat dissidentes,* | f. 68v *et similia promittit; minime scribit aut ullatenus debet dicere, quod erit subditus mandato alicuius ex iis qui promovent ipsum, quemadmodum quoque illi ipsius ⟨mandato subsunt⟩, quia nullo pacto possunt ipsum accusare, nisi cum prolapsus fuerit de orthodoxa confessione.*

Qualiter autem admoveatur ⟨et⟩ promoveatur Patriarcha dicimus. Post orationem horae tertiae ingreditur caput Synodi et Episcopi omnes ad altare, et adducunt vocatum, et imponunt ei cucullum novum in capite ipsius, et induunt eum tunica et orario inferiore et manicis, et ponunt super eum cidarim (maṣnaphto) et deinde amictum (shadoio). Cum autem caput Synodi apprehendit omnia, et omnes Episcopi qui cum ipso sunt, tunc genuflectit caput Synodi, et omnes qui cum ipso Metropolitae et Episcopi, et procidunt super terram coram vocato, ac dicit ei caput Synodi:

Spiritus Sanctus vocat te, ut sis Patriarcha, id est « Pater principum », civitati Antiochiae et dicioni totius sedis apostolicae, id est Pater nobis omnibus.

Tunc genuflectit ipse vocatus coram eis dicens:

Consentio et accepto.

Et ⟨erigunt⟩ eum Episcopi ⟨ac⟩ statuunt in loco abscondito in ipso altari; et caput Synodi offert ⟨sacrificium⟩ aut unus e senioribus. Et post oblationem ⟨i. e. *Missam*⟩ *adducunt vocatum, et stat coram altari habens supra se cidarim (maṣnaphto), et incipit unus e senioribus, cui praecipitur a communitate, ac dicit oratio-*

(3) I. Al. Assemani corrigendo textum scribit: « et synodos oecumenicas ». Tribus enim prioribus synodis oecumenicis admissis (Nic., Const. et Eph.), reiciunt Syri heterodoxi concilium quartum Chalcedonense, quod damnavit Eutychen, coryphaeum Monophysitarum.

nem initii (*shuroïo*), *et dum ministrant in cycliis, unusquisque Episcoporum orat orationem, quae ipsi secernitur a communitate; et ita sensim quisque ministrat id quod eidem praecipitur, ita ut omnes participes sint in ministerio: unus dicit orationem, alius propitiationem* (ܚܘܣܝܐ), *alius lectionem.*

Et post totam acoluthiam ⟨seu *officii ordinem*⟩ *omnes ponunt manum suam super caput illius qui promovetur* ⟨seu *ordinatur*⟩ *tempore impositionis manus, et omnes dicunt orationem invocationis Spiritus Sancti. Et tempore quo illi dant baculum, qui est signum potestatis Spiritus, omnes apprehendunt eum quisque pro sua antiquitate, et statim accipiunt dexteram illius qui promovetur Patriarcha, et elevant eam super manus omnium, et apprehendit summitatem hastae, et ita perficitur.*

⟨CHIROTONIA EPISCOPORUM⟩

Qualiter autem Patriarcha promoveat ⟨seu *ordinet*⟩ *Episcopos, debemus quoque describere et demonstrare. Post horam tertiam similiter, ingreditur Patriarcha «beth-gazê» altaris* ⟨i. e. *sanctuarium*⟩, *et vocat ipsum vocatum et duos solos Episcopos cum eo, et clauditur facies portae* ⟨i. e. *velum*⟩. *Tunc Patriarcha imponit capiti eius cucullum, et induit eum tunica, et imponit ei cidarim* (*maṣnaphto*), *coaptat ei casulam* (*shadoïo*), *dum Episcopi apprehendunt omnia. Tunc genuflectit Patriarcha coram vocato, dicens:*

Spiritus Sanctus vocat te, ut sis Metropolita, *aut*, Episcopus loco *tali*.

Et genuflectunt etiam Episcopi in honorem Patriarchae. Tunc vocatus quoque cadit super faciem suam coram Patriarcha dicens:

Consentio et accepto.

Itaque collocant eum in latere altaris, donec Patriarcha perfecerit oblationem. Tunc Episcopi praesentant vocatum habentem super se cidarim (*maṣnaphto*) *et manus ligatas. Et incipiente Patriarcha, Episcopi dicunt cyclion et reliquum ministerium, prout infra ordinantur.*

* * *

Oratio initii chirotoniae Patriarchae et Metropolitarum et Episcoporum.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc... Dignos nos fac, Domine Deus, ut pure et sancte stemus coram altari tuo sancto, postulantes a tua misericordia, ut sis nobiscum et inter nos, et concedas nobis divitias effusas donorum tuorum divinorum, et in hoc quoque instanti, ut secundum voluntatem tuam perficiamus ministerium perfectionis ⟨*seu* consecrationis⟩ Pontificis huius, et attollamus Tibi gloriam et confessionem, Pater, Fili et Spiritus Sancte (nunc et semper...).

| *Cyclion tono tertio dicunt cum psalmo hoc* (XXI) [f. 69r] (v. 1) Domine, in virtute tua laetabitur rex, Alleluia, et in salutari tuo exsultabit vehementer.

Respondent: (v. 2) Desiderium cordis eius tribuisti ei, Alleluia, et praeparationem ⟨*seu* petitionem⟩ labiorum eius non denegasti ei.

Et mutant illi qui inceperunt: (v. 3) Quoniam praevenisti eum benedictione bona, Alleluia, et posuisti in capite eius coronam gloriosam.

Et dicunt stropham hanc: Tu, qui super montem sinaiticum Verbum Deus, cum Patre in mysterio apparens, Moysi levitae legem dedisti et cultum servitii temporanei, Tu in cenaculo Apostolis tuis Spiritum Sanctum misisti, et consummasti ac perfecisti eos, et ut praedicarent cum stupore effecisti in eis, ut magis clamarent ac dicerent: Sacerdotes omnes benedicite, glorificate et laudate Summum Pontificem veritatis ⟨*seu* verum⟩, Christum, in saeculum saeculorum.

Respondent: (v. 4) Vitam petiit a te et tribuisti ei, Alleluia et Alleluia, longitudinem dierum in saeculum saeculorum.

Eadem laude: A Te fluit sanctitas, quia sanctus es, etiam pontificatus per Te datus est. Tu es susceptor sacrificiorum de manibus sacerdotum servorum tuorum et condonator debitorum eorum, qui paenitentiam agentes ad Te ⟨redeunt⟩; Tu per miserationes tuas concedis ⟨veniam⟩, et peccatum totius mundi immolatione Tui deletum est, o Agne Dei. Sacerdotes (omnes benedicite *etc*...).

(v. 5) Magna facta est gloria eius in salutari tuo; gloriam et decorem posuisti super eum.

Et dicunt etiam in ipso responsorio stichum.

Dum Salomon in parabolis loquebatur ⟨dicens in *Cantico* V, 9⟩: « Quis est dilectus tuus, o pulchra? » dixit in quo valde gloriaris. Dilectus meus est electus ex multis millibus (*ibid.* 10), cuius vinea est Israel (4); « candidus » prae vite Iacob, « rubicundus » prae unguento nardi (5), subtilis prae cedris Libani; similitudo est enim Dei ille quem glorificamus, quia gloriosus est,

(v. 6) Quoniam fecisti eum benedictionem in saeculum saeculi, et laetificasti eum laetitia vultus tui.

Et dicunt: Mysterium fuit apud Samuelem hoc mysterium quod ex cornu unctionis (6). Ad filium Isai accessit ut perungeret; cum autem vidit Davidem in similitudine illius qui venit, qui incarnatus est, dixit: Sicut Dominus Christus eius, qui ipse est solus sanctus et amator hominum.

Gloria. *Stichus.*

« Adiuravi vos, o filiae Ierusalem, per cervos » prophetas qui ex civitatibus vestris, et « per hinnulos » qui discurrunt per « campos », Apostolos ⟨scilicet⟩ qui
f. 69v praedicarunt evangelium, « ne | suscitetis neque evigilare faciatis dilectam » in vocibus vestris. Relinquite

(4) Cf. *Is.* V, 7.
(5) Cf. *Cant.* V, 10.
(6) Cf. I *Sam.* XVI.

dormientem dilectum meum, « donec velit » (7). « Myrrha et aloe » (8) condit me. « Transit hiems et abiit imber, et venit » (9) aestas resurrectionis. Gloria Tibi pro creatura tua, Deus amator hominum

Oratio, quam orat Patriarcha aut unus ex Episcopis.

Innova in nobis de die in diem deposita tua divina, et radios charismatum tuorum spiritualium, Spiritus Sancte qui sanctificas omnia; atque in Te et a Te illuminemur et condecoremur donis tuis caelestibus et sanctis, nunc...

Psalmus alius tono quarto (*Ps.* XLV, 1). Eructavit cor meum verba bona, Alleluia et Alleluia, et dixi opera mea regi.

Respondent: (v. 1^b) Lingua mea calamus scribae periti, Alleluia et Alleluia (v. 2^a), qui speciosus est visu suo prae filiis hominum.

Mutant illi qui inceperunt: (v. 2^b) Diffusae sunt miserationes super labia tua, ideo benedixit te Deus in aeternum, Alleluia et Alleluia.

Stropha. Cum recessit et latuit ille balbus lingua (10), rhetorice cecinit legem exaratam a Deo; cum excussit iocositatem corporis etiam ex mente sua, iterum adauctus est et mystice initiatus est in scientia Spiritus Sancti, et promovit divine laudes.

Respondent: (v. 3) Mitte gladium in femore tuo, potens, species tua et gloria tua, (v. 4^a) et gloria tua vincit, Alleluia et Alleluia.

Stropha. Dixit os timendum et sanctum et laudandum: Non sit in vobis qui separet et privet dilectos meos et socios meos. Quia ecce ego supra thronum gloriosum in quo cum Patre sedeo, et effundo ipsum donum

(7) *Cant.* III, 5.
(8) Cf. *Cant.* IV, 14.
(9) Cf. *ibid.* II, 11.
(10) Moyses scilicet, iuxta *Exod.* VI, 12.

Spiritus Sancti super illos, qui desiderant splendescere per illud.

Gloria.

Supra montem cum ascendisset Verbum veritatis, suo visu glorioso implevit corda eorum; quando perfecit verba sua per opera, laetificavit amicos suos vehementibus flatibus, quia in similitudine linguarum ignis destribuit Spiritum Sanctum Christus, quemadmodum promisit.

Oratio. Deus, qui per Spiritum tuum perfecisti Apostolos tuos, et veritate tua armasti athletas tuos (11), perfice et arma nos caritate tua, ac veritate tua infirmitatem nostram praecinge, et reple mentes et intellectus nostros luce tua sancta et caelesti. Pater et Fili et Spiritus sancte, nunc...

Psalmus tono septimo (*Ps.* LXXII, 1). Deus, iudicium tuum regi da; Alleluia et Alleluia et Alleluia et Alleluia. et iustitiam tuam filio regis.

Respondent. (v. 2) Iudicabit populum tuum in iustitia; Alleluia et Alleluia et Alleluia et Alleluia; et pauperes tuos in iudicio.

f. 70r *Strophae.* Praecepisti | discipulis tuis, Christe, dicens: Quoad induamini virtute ex alto, manete in civitate Ierusalem (12). Ego autem alium Paraclitum, similem mihi, Spiritum Sanctum meum et Patris vobis mittam, ut per ipsum confirmemini et confortemini (13).

Spiritus qui propter timorem tuum conceptus est, Domine universorum, in ventre casto Prophetarum, etiam apparuit super terram [ ] ille salutis,

(11) Syriace relativae sententiae post vocativum ponuntur in *tertia* persona, quam nos vertimus in *secundam* iuxta grammaticam latinam. Unde syriace hic habetur, prout materialiter vertit I. Al. ASSEMANI: « Deus, qui per Spiritum *suum* perfecit Ap. *suos*..., perfice et arma ».

(12) Cf. *Act.* I, 4.

(13) Cf. *Ioan.* XIV, 16; XV, 26; XVI, 7.

ille qui a Patre procedit (14), et per Filium super nos fideles mansit et quievit, et est dator vitae et sanctitatis omnibus illis qui in fide veritatis meruerunt recipere eum.

Gloria.

Gratia, qua repletus fuit Isaias propheta a Deo pacis, nobis etiam data est. Te Christum Deum novimus: Tu enim solus venisti ad terram, et inimicitiam mortiferam, quae ‹erat› cum Deo Patre, commutasti per sanguinem tuum pretiosum, quem effudisti pro salute nostra.

Oratio. Gratia perfecta Spiritus Sancti replevisti corda Apostolorum sanctorum Christe Deus, et promissionem eis ‹factam› implevisti per illapsum Spiritus Sancti; concede nobis, ut repleamur eius charismatis divinis et virtute illius illuminante et salutari, nunc...

Psalmus tono octavo (*Ps.* CXXXII, 1). Memento, Domine, David, et omnis humilitatis eius. Alleluia et Alleluia et Alleluia et Alleluia.

Strophae. Aperi os meum in parabolis tuis plenis sapientia; dilata et doce, ut conflet iudicia tua Tu, Domine mi, qui extendisti caelum; dulcem fac linguam meam debilem verbo tuo vivo; et meditari me fac in canticis pretiosis legum tuarum; Tu enim sanctus es, et non est sanctus alius extra te, Domine omnium.

Benedicite pueri puri, aequales numero Trinitati creatrici saeculorum, Deum Patrem. Confitemini Verbo, quod migrans descendit in nostram salutem et mutavit flammam in spiritum roris refrigerantis. Populi omnes benedicite et confitemini nomini Datoris vitae omni rei animatae, Spiritui sanctificanti omnia semper et in saecula saeculorum.

Gloria.

(14) Cf. *Ioan.* XV, 26. Paulo ante habetur spatium vacuum relictum in cod. *Borg.*, correspondens verbo haud legendo vel iam primitus raso in cod. *Vat.*

Illum qui est absconditus et omnibus sublimior, cui ministrant incessanter militiae angelorum, pueri in pulchritudine timoris glorificate ; sacerdotes semper benedicite ei ; populi confitemini illi et benedicite nomini eius in saeculum saeculorum.

Prooemium ordinis ⟨i. e. *sedro*⟩.

f. 70v Gloria incomparabilis et incessabilis Essentiae | altiori omnibus essentiis et creatrici omnium essentiarum. Confessio indefectibilis Bonitati excelsiori omni bonitate et datrici charismatum perfectorum. Adoratio mentalis Divinitati trinae in personis sanctis et dominae sanctificationum ⟨*seu* sanctificanti⟩, cuius splendoribus illuminantur omnes virtutes angelicae, et cuius purificationibus proficiunt in suo pontificatu spirituali, quae perficit Pontifices et ornat sacerdotes, quae dat typos et obsignat mysteria divina, quae suscipit sacrificia et concedit dona spiritualia, quae abscondite in ecclesiis supernis intellectualibus glorificatur, et in ecclesia, quae hic mystice laudatur et exaltatur a pontificibus et sacerdotibus et diaconis eius, quae in Patre ingenito et in Filio genito et in Spiritu procedente creditur et adoratur ab omnibus virtutibus spiritualibus et sensibilibus, cui convenit gloria et honor.

Sedro

Deus sublimior omni comparatione et decore atque abscondite ab omni mente creata, Pater aeterne Filii aeterni et fons essentialis Spiritus procedentis et essentialis, Dator omnis charismatis pretiosi et doni boni ; Tu es ille qui bonitate tua essentiali et incomparabili virtutes intellegentes et naturas primas ad exsistentiam ex non exsistentia adduxisti et stabilisti ; et cum in pulchritudine ordinationis convenientis mentes spirituales et ministros incorporeos ornasti, etiam pure et lucide ac perfecte et charismatis tuis divinis ditasti eos, ut pontificaliter purificarentur et purificarent, illuminarentur et illuminarent, perficerentur ac perficerent,

et ad ascensum in perfectam lucem bonitatis tuae elevarentur ad Te, nos, terreni et terrae ligati, gementes rogamus in instanti hoc sanctissimo perfectionis ministerii huius sacerdotalis et religiosi, ut per eamdem bonitatem, effusam in omnibus et ditantem omnes, convertaris benigne ac suaviter ad supplicationem nostrum, servorum tuorum vilium, quibus concredidisti praesulatum pastoralem et ministerium religiosum concessisti, ut donum perfectum et charisma consummatum Spiritus tui boni et Distributoris divitiarum divinarum concedas servis tuis his coram Te | f. 71r nunc inclinatis et ad Te, habitatorem caeli, oculis mentium suarum suspicientibus ; atque debita et errores ab eis contracta auferens tamquam nubem, iisdemque propitiationem et emundationem largiens, pusillos, per mediationem nostram oblatos, reple virtute gratiae tuae, et splendoribus tuis illumina mentes eorum. Complaceat autem Tibi, Domine, in adductione eorum ad Te, et suscipe eos ut conversentur in domo tua sancta, et ministrent domui tuae religiosae, quemadmodum placatus fuisti et acquievisti in ministeriis Sanctorum tuorum qui a saeculo ; qui a Te videlicet fideles habiti sunt et segregati fuerunt ad Praesulatum servitii mysteriorum tuorum et ineffabilium, Moysis et Aaronis gloriosorum in Pontificibus, et Samuelis vocati et celebris, et Isaiae qui vidit gloriam tuam, et Iesu illius magni ⟨filii⟩ Iosedech (15) ; et in fine Apostolorum beatorum testium et ministrorum Evangelii ⟨Filii⟩ unigeniti tui, Verbi Dei, qui recenter Spiritu tuo purificati sunt et ministerium evangelicum et plenum gratia illa spirituali susceperunt ; ita et hos servos tuos suscipe, et complaceat Tibi in eis, ac perfice eos dono tuo consummato in sanctificationibus secundum virtutem vocationis eorum, ad ministerium et famulatum coram magnitudine tua, ita

(15) Cf. I *Esdrae* III, 2, 8 ; *Ag.* I, 1, 12 et alibi.

ut, per gradationes has divinas de virtute in virtutem elevati, mystae sapientes et mystagogi haud errantes et beati sint ; et ita, dum crescit Ecclesia tua et promovetur cum ea ordinatio conveniens per charismata divina, ab omnibus ordinibus et statibus illorum qui ministrant, attollatur Tibi gloria perseverans verbo et opere, et Tecum unigenito Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, ac Spiritui vivo et sancto, et nunc...

Cantus tono : « Ego sum lux vera ».

Dixit maximus Pastorum Simoni, capiti Apostolorum : Vide, Simon, quid agas de deposito, quod dedi in manus tuas. Pervigil custodi gregem tuum a noxis et dissidiis, quia rationem reddere debes coram Iudice iustitiae, in cuius iudicio non est personarum acceptio.

Scripsit Paulus beatus Timotheo, discipulo suo : Vide, frater noster, quid agas de ecclesiis Christi ; vide ne dederis sacerdotium neque superbis neque immun-
f. 71v dis, | sed quietis et humilibus, illi qui mundus est et purus et gubernat domum suam recte.

Ne commovearis Ecclesia fidelis. Convivium fac mihi, Domine mi.

Oratio incensi.

Christe, virtus et sapientia Patris, qui Teipsum obtulisti pro nobis odorem suavem et sacrificium acceptum, et ungis atque imples suavitate odoris tui spiritualis animas adulescentulas amicas tuas, suscipe cum aromatibus istis glorificationes et confessiones nostras ; et da gratia tua abundanti servo tuo huic coram Te inclinato, ut tenebras ignorantiae ab ovibus suis dissipet, et super candelabrum evangelicum in pulchritudine sessionis apostolicae resplendeat, atque laetus tradat Tibi talentum suum cum duplicato lucro, Domine noster et Deus noster in saecula (*).

(*) ⟨*In margine legitur*⟩. Cum autem, uti Pontifex supra, unus ex Episcopis senioribus loco Patriarchae ponit hoc incensum, alius ex Episcopis circumducit thuribulum in tota ecclesia.

Et Clerici dicunt psalmum hunc (LXXXIX) 18. Quia Dominus est fiducia nostra, et Sanctus Israel rex noster. 19. Tunc locutus est in visionibus in sanctis suis : 20^b. Exaltavi electum de plebe mea. (XLV. 7) Propterea unxit te Deus, Deus tuus, unguento laetitiae et exsultationis magis quam participes socii tui.

Tunc legit unus ex Episcopis lectionem hanc ex libro Actuum Apostolorum.

Carissimi mei. (*Cap.* I) 2. postquam praecepit Iesus Apostolos, quos elegit per Spiritum Sanctum, 3. quibus et manifestavit seipsum, postquam passus est, in multis signis per dies quadraginta dum apparebat eis, locutus est de regno Dei. 4. Et cum comedisset cum eis panem, praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed remanerent ⟨exspectantes⟩ promissionem Patris « quam audistis a me ». 5. Quia Ioannes baptizavit aqua, et vos baptizabimini in Spiritu Sancto. 6. Illi igitur congregati, interrogaverunt eum dicentes : Domine noster, si in tempore hoc restitues regnum Israeli. 7. Dixit eis : Non est vestrum nosse tempora et momenta, quae Pater posuit in sua potestate. 8. Sed cum venerit Spiritus sanctus super vos, recipietis virtutem, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et etiam inter Samaritanos et usque ad fines terrae.

(*Cap.* I) 24. Et cum orarent, dixerunt : Tu, Domine, nosti corda omnium, ostende unum quem elegis ex his, 25. ut ipse accipiat sortem ministerii et apostolatum, ex quo secessit Iudas, ut abiret in locum suum. 26. Et
miserunt sortem, | et cecidit super Mathiam, et annu- f. 72r
meratus est cum undecim Apostolis.

(*Cap.* II) 1^b. Et cum congregati essent omnes simul, 2. factus est repente de caelo sonus tamquam spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. 4. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. 14. Et cum surrexisset Simon Cephas, dixit : Viri fratres mei et omnes qui habitatis Ierusalem, hoc vobis notum sit, et

auribus percipite verba mea. 22. Iesum Nazarenum, virum a Deo manifestatum apud vos in virtutibus et signis et prodigiis, quae fecit Deus per illum in medio vestri; 23. hunc praedestinavit ad hoc praescientia et voluntate Dei. 33. Et ipse est qui per dexteram Patris exaltatus est, et accepit ab eo promissionem de Spiritu Sancto, et effudit donum hoc quod en videtis et auditis. 39. Vobis enim facta fuit promissio et filiis vestris, ut recipiatis donum Spiritus Sancti.

(*Cap.* VI) 2. Tunc vocaverunt duodecim Apostoli totam multitudinem discipulorum, et dixerunt eis: 3. Investigamini itaque, fratres mei, et elegite septem viros ex vobis habentes testimonium <bonum> et plenos Spiritu Domini et sapientia, et constituemus eos super hoc negotium; 4. et nos orationi et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni populo. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum et Prochorum, et Nicanorem et Timonem, et Parmenam et Nicolaum advenam Antiochenum. 6. Isti steterunt coram Apostolis, qui orantes imposuerunt eis manus.

(*Cap.* VIII) 14. Et cum audiissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quod recepit populus Samaritanorum verbum Dei, miserunt ad eos Simonem Cepham et Ioannem; 15. qui cum descendissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. 18. Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, 19. dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: 20. Pecunia tua tecum abeat in perditionem, quia donum Dei existimasti possessione mundi possideri. 21a. Non est tibi pars neque sors in fide hac.

(*Cap.* XII) 25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ex Ierosolymis in Antiochiam expleto ministerio,
f. 72v assumpto Ioanne, qui | cognominatus est Marcus.

(*Cap.* XIII) 2. Et ieiunantibus illis atque orantibus Deum dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod vocavi eos. 3. Et postquam ieiunaverunt et oraverunt, imposuerunt super eos manum, et miserunt eos. 4. Et illi quidem missi a Spiritu Sancto descenderunt in Seleuciam, et inde processerunt per mare usque ad Cyprum, et dixerunt eis (I *Petri* I) 13. Fratres mei, praecingite lumbos mentium vestrarum, et vigilate perfecte, et sperate in laetitia, quae venit vobis per revelationem Domini nostri Iesu Christi. 15. Et estote sancti in omnibus conversationibus vestris, uti sanctus est qui vocavit vos; 16. quia dixit: Sancti estote, sicuti etiam ego sanctus sum. (*Cap.* II) 7. Vobis itaque datus est hic honor credentibus. (*Cap.* V) 1. Et dixit eis Petrus: Rogo seniores, qui in vobis sunt, ego senex socius vester et testis passionum Christi, et particeps gloriae eius qui revelabitur. 2. Pascite vobis traditum gregem Dei, curate <eum> spiritualiter non coacte sed spontanee, non ob emolumenta turpia sed ex toto corde vestro, 3. non tamquam domini gregis, sed quasi exsistentes eis exemplum pulchrum; 4. ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriae coronam.

Et legit adhuc Episcopus alius hanc lectionem Apostoli Pauli ex epistula (I) *ad Timotheum* (16).

(*Cap.* I) Fratres mei. 18. Hoc praeceptum commendo tibi, fili mi Timothee, secundum praecedentes in te prophetias, ut exerceas in eis opus hoc pulchrum 19. cum fide et conscientia bona.

(*Cap.* III) 1. Fidelis sermo: Si quis presbyteratum desiderat, opera bona desiderat. 2. Oportet autem presbyterum esse in quo macula non inveniatur, virum

(16) Legitur hic in codice *Vat.* f. 91r longa nota marginalis, quae partim evanuit neque in cod. *Borg.* est transcripta. Videtur autem esse nota exegetico-ascetica, quae tribuitur « Sancto Iwannis: ܝܘܚ ܐܣܘܢܩܐ ».

unius uxoris, vigilem mente sua, et castum et ordinatum, hospitalem et doctorem, 3. non vinolentum, et cuius manus non currit ad percutiendum ; sed sit humilis et non litigiosus neque cupidus pecuniae, 4. suam domum recte gubernans, tenens filios suos subiectos in omni castitate. 5. Si quis enim domum propriam nesciat recte gubernare, quomodo poterit Ecclesiam Dei gubernare? 6. Neque sit neophytus, ne ⟨mente⟩ exaltetur et cadat in iudicium Satanae. 7. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli. 13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum f. 73r sibi acquirunt | et multam fiduciam in fide Iesu Christi.

(*Cap.* IV) 6^{a}. Haec si docueris fratres tuos, minister bonus eris Iesu Christi. 9. Fidelis sermo et acceptione dignus. 11. Haec doce et praecipe. 12. Et nemo adulescentiam tuam contemnat, sed esto exemplum fidelibus in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. 14. Noli contemnere fidem tuam, quae data est tibi per prophetiam et impositionem manus presbyteratus. 16^{b}. Haec enim faciens, teipsum vivificabis et illos qui te audiunt.

(*Cap.* V) 1. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra eum ut patrem ; et iuvenes, ut fratres tuos ; 2. et vetulas, ut matres ; et iuvenculas, ut sorores tuas in omni castitate. 3. Viduas honora, quae vere viduae sunt. 19. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, sed in ore duorum aut trium testium. 20. Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timeant. 21. Testor coram Deo et Domino nostro Iesu Christo et angelis eius electis, ut haec custodias, et ne festinet mens tua ad aliquid, neque quidquam facias cum acceptione personarum. 22. Manum cito nemini impones, neque communicabis peccatis alienis. Teipsum castum custodi, (*Cap.* VI) 11. o homo Dei ; et sectare iustitiam et rectitudinem et fidem et caritatem et patientiam et humilitatem. 12. Et

certa in agone bono fidei, et apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es et confessus bonam confessionem coram multis. 13. Testificor te coram Deo, qui vivificat omnia, et Iesu Christo, qui reddidit coram Pontio Pilato testimonium bonum, 14. ut serves praeceptum sine labe et sine macula usque ad revelationem Domini nostri Iesu Christi, – qui iudicaturus est vivos et mortuos, cui gloria et honor in saeculum saeculorum. Amen.

Et dicunt laudationem.

Et legit Patriarcha lectionem hanc Evangelii ex Matthaeo Apostolo (XVI, 13-19).

(*Cap.* XVI) 13. Venit autem Iesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis? 14. At illi dixerunt : Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex prophetis. 15. Dicit illis Iesus : Vos autem quem me esse dicitis? 16. Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, | filius Dei f. 73v vivi. 17. Respondens autem Iesus, dixit ei : Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. 19. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis (17).

Post evangelii lectionem sedet Patriarcha in sede sua et singuli Episcopi iuxta gradum suum. Tunc adducunt Episcopi ordinandum, stantem apud alam altaris in latere australi; et, iubente Patriarcha, legit volumen homologiae ⟨seu : *fidei confessionem*⟩, *quam antea propria manu conscripsit. Qua lecta, voce proclamat coram omnibus congregatis, quod similem definitionem fidei orthodoxae promittit servare, praedicare*

(17) Citatur versio *Ḥarklensis;* cf. supra p. 72-73.

et docere et similes canones apostolicos, et quod talem subiectionem servabit sedi patriarchali. Tunc tradit volumen, quod scripsit, Patriarchae, ut conservetur.

Et Episcopi adducunt eum item in conspectum altaris; et ambo genua sua flectit, habens super se casulam presbyteratus sui; cidarim ⟨maṣnaphto⟩ sumunt ab eo usque ad tempus eius. Tunc surgit Patriarcha a sede sua, et accedit ante altare, et incipit ministerium secundum.

Oratio initii ⟨shuroïo⟩.

Deus Spiritus Paraclite, qui per charismata tua divina terrenos fecisti caelestes et oeconomos fideles ac prudentes, exaudi nos etiam nunc qui invocamus Te, et delabere super servos tuos qui exspectant donum tuum caeleste, et efferemus Tibi gloriam et confessionem...

Et dicunt responsorium: Miserere mei, (Deus)... Propitius esto mihi tu solus... *En scriptum est supra initio libri* (f. 52r; p. 145).

Et dum totum absolvunt et glorificant ⟨seu, *dicunt:* Gloria...⟩ *incipit Patriarcha ordinem ⟨sedro⟩ hunc, qui infra.*

Primo prooemium hoc.

Gloria unica ac triplex splendoribus, et laus una ac triplex radiis, et exaltatio singularis ac triplex luminibus uni luci de luce et fonti lucis, et ex qua illuminantur virtutes supernae et spirituales, illuminantes et illuminatae; Iconi et prototypo ecclesiae nostrum terrenorum, qui luce scientiae suae et charismatis Spiritus sui sancti illuminavit Apostolos suos divinos, et perfecit eos scientia mysteriorum suorum abditorum, et tradidit eis potestatem | f. 74r charismatum spiritualium, ut eis ornentur ac praefulgeant qui a Spiritu eleguntur ac mediantibus illis perficiuntur, et consummantur donis a Patre luminum descendentibus et illapsu Spiritus Sancti concessis; ad quem respicimus supplicatione cordetenus oblata, ut per manus nostras consummemus ac perficiamus et vas ad ministerium ipsius constituamus eum in ecclesia ipsius sancta, dum acquiescit in eius ministerio puro, et tamquam sacrificium dilectum accipitur apud ipsum de manibus nostrum offerentium, qui pro donis eius erga nos confitemur et adoramus et glorificamus in hoc instanti.

Sedro (*)

Supplices quaesumus, rogamus et obsecramus suavitatem misericordiae tuae effusae in omnes et super omnes et omni tempore, Domine Domine noster plene miserationibus, Creator, Factor et Constitutor omnium. Tu, Domine Deus noster, qui ab angelis adoraris et glorificaris semper, et ab archangelis ministraris mirabiliter, et a Seraphim sanctificaris sanctificationibus trinis divine, et ab omnibus ordinibus spiritualibus et incorporeis cum tremore exaltaris et celebraris dominice, exaudi nos terrenos et detentos in terra in hoc sancto instanti, quia amator hominum es et valde sollicitus de hominibus. Tu misericors et multae gratiae, qui per miserationes, quae in Te reperiuntur naturaliter voluisti et placuit Tibi, ut in laude spirituali, quam contulisti gratia tua caelestibus, in eadem participem faceres naturam nostram humanam et carneam. Propterea Apostolis sanctis, quos elegisti, ordines caelestium commisisti: et typorum illorum, qui per Moysen et prophetas obscure et figurative praesignati fuerunt, per Filium tuum dilectum, Dominum nostrum et Deum nostrum magnum et Salvatorem nostrum Iesum Christum, tradidisti veritatem apertam et lucem plenam ac perfectam Simoni, vertici apostolico et Apostolis electis, atque per

(*) ⟨*In margine legitur*⟩. Cum Patriarcha hunc ordinem ⟨*sedro*⟩ ponit ⟨*seu*, recitat⟩, unus ex Episcopis circumducit thuribulum per totam ecclesiam, et cum ipso sunt duo sacerdotes ac duo diaconi cum luminaribus et flabellis.

eos toti Ecclesiae sanctae usque ad consummationem mundi. Ita, Domine, et nunc quoque, per eamdem misericordiam tuam et per eamdem gratiam tuam, da et concede et dignum fac servum tuum hunc, qui recipiat donum magnum principatus ⟨*seu:* plenitudinis⟩ sacerdotii, et sit gubernator bonus et antistes diligens et pastor spiritualis gregi tuo benedicto. Complaceat tibi, Domine, f. 74v etiam in nobis, | qui offerimus eum, et ne reprobes ac repellas nos propter indignitatem nostram; sed per tuam misericordiam visita nos, et gratia tua suscipe deprecationem nostram, et Tu inclina te ad nos, et perfice ac consumma servum tuum hunc, vas ad ministerium tuum; purificans eum ab omnibus contumeliis iniquitatis et peccati, orna eum sanctitate et puritate animae et corporis et nitore Spiritus atque moribus bonis; et confirma illum in fide orthodoxa, ne vilescat per commixtionem haereticam; et concede illi etiam, Domine Deus, ut humilitate mentis accedat ad ministerium hoc angelicum, et cum timore ac tremore exerceat cultum sanctum mysteriorum tuorum divinorum, et per illa inveniat redemptionem perfectam animae suae, et propitiationem debitorum ac veniam peccatorum pro toto grege tuo rationali et sacerdotali, qui ei commissus est per iudicia occulta Deitatis tuae, per gratiam autem et per misericordiam unigeniti Filii tui, quocum Tibi convenit gloria et honor et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo, et bono et adorando et vivifico atque consubstantiali Tibi, et nunc...

Et incipit Patriarcha. Sancte qui habitaculum tuum ⟨*seu* maiestatem tuam⟩ demisisti... *En scriptum est et hoc initio libri* (f. 52r; p. 146).

Et dum perficiunt et glorificant ⟨seu, *dicunt:* Gloria⟩ *orat Patriarcha orationem hanc incensi.*

Decori gloriae maiestatis tuae, natura sua omnia superantis, obtulimus suavitates hasce, qui per suffitum incensi ascendunt, et e profundo terrae cordis et ex motibus intellectualibus super volas intellectus acuti of-

feruntur ad placationem dominationis tuae. Tu itaque bone, suavis et benigne, per dona charismatum tuorum divinorum animas, peccatis inquinatas, munda et sanctifica; et hunc, qui per nos vocatus est, consumma et perfice per gratiam tuam, ita ut cum praeservatione talenti, a dominatione tua ei concrediti, et cum lucro ⟨talenti⟩ apparentis et duplicati, addantur ei atque nobis, cum his quae hic ⟨*seu:* in vita praesenti⟩, illa quoque quae ibi ⟨*i. e.* in vita aeterna⟩. Et gloriam et honorem et adorationem referemus Tibi et Patri tuo et Spiritui tuo vivifico, et nunc...

Et adiungit Patriarcha orationem hanc pro se inclinatus.

Domine Deus virtutum, qui posuisti nos in sorte ministerii huius, qui erudis mentes hominum et scrutaris corda et renes, audi nos propter multitudinem misericordiae tuae, et munda | nos ab omni macula carnis et f. 75r spiritus; transfer peccata nostra tamquam nubem, et tamquam caliginem iniquitates nostras; et imple nos virtute tua et gratia unigeniti Filii tui, atque efficientia Spiritus tui sanctissimi, et capaces nos fac ministros testamenti tui novi, ut possimus, prout aequum est nomini tuo sancto, stare coram te et sacerdotale ministerium exhibere mysteriis tuis divinis.

Ne permittas nos fieri participes peccatorum alienorum, sed etiam nostra dele, et da nobis, Domine, ut nihil faciamus in aberratione; verum concede nobis scientiam ad elegendum illos qui digni sunt eosdemque Tibi offerendos. *Et extollit vocem suam.* Et suscipe Pontificem et hunc servum tuum hic praesentem, exspectantem donum tuum caeleste, quia suavis es et multae misericordiae omnibus invocantibus Te, et fortis est potentia tua et unigeniti Filii tui et Spiritus tui sanctissimi, et nunc...

Populus: Amen.

Patriarcha: Pax (vobis omnibus).

Populus: Et spiritui tuo.

Tunc praecipit Patriarcha uni ex Episcopis, et proclamat hanc proclamationem: Gratia divina, quae infirma sanat et deficientia supplet et cui cura est de ecclesiis, vocat et promovet *talem* religiosum presbyterum praesentem ad episcopatum *talis* civitatis gregis benedicti. Oremus itaque omnes ut veniat super eum gratia et illapsus Spiritus sancti, et clamemus ac dicamus ter: Kyrie eleison.

Item Patriarcha orat hanc orationem inclinatus.

Ita, Domine, dignum fac eum vocatione principatus sacerdotii, ut per benignitatem tuam, mereatur, prout decet nomen tuum sanctum, servire Tibi et altari tuo sancto, et pascere populum tuum cum pietate et sanctitate et iustitia. *Et extollit vocem suam.* Et inveniat hereditatem Sanctorum tuorum per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo Tibi convenit gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sancto et consubstantiali Tibi, et nunc...

Populus: Amen (*).

Patriarcha ponens ambas manus suas super Corpus Sanctum, et extendit brachia sua et colligit tribus vicibus, dum in unaquaque vice etiam super calicem adducit palmas suas extensas, et proicit ac redit, accipit reducitque ad corpus, et ubi ter super Corpus circumfert
f. 75v *tremulo motu* ⟨seu : *agitat*⟩, *tunc et super* | *calicem quoque similiter circumfert tremulo motu ter, et eodem modo qualibet vice affert palmas suas ad Corpus, et proicit et redit, accipit ac reducit ad calicem; et ubi perficit ter et ter, tunc cooperiunt manus eius « phedto »* ⟨*ephod:* אפוד⟩, *et revertitur ad illum qui promovendus est et proicit super caput eius, ac metitur* (18). *Et Episcopi duo gestant manibus suis librum Evangelii sanctum apertum desuper manus Patriarchae, et alii gestant flabella supra Evangelium. Tunc Patriarcha elevat manus suas, atque expandit brachia sua, et attollit ac demittit ter super caput promovendi, dum Episcopi cum manibus Patriarchae demittunt ipsum, et flabella super Evangelium commovent. Et tunc ponit Patriarcha dexteram suam super caput illius qui iam promovetur, et sinistra sua propellit hinc et inde per circulum, cum orat ipse Patriarcha orationem hanc, quae est invocatio Spiritus Sancti, inclinatus, id est sub silentio, et dicit sic* (*).

(*) ⟨*In margine*⟩. *Sit apertum Evangelium cum dicit:* Spiritus Domini (super me), propter quod unxit me (*Luc.* IV, 18); *et adhuc ubi dicit:* Et elevatis manibus suis benedixit eis (*Luc.* XXIV, 50).

(18) Ita quidem I. Al. ASSEMANI ad h. l. Posset autem aeque verti : « *et consecrat* ». Qui sensus probabiliter est hic intentus. Verbum enim syriacum adhibitum ܡܫܚ significat utrumque: 1° unxit, consecravit; 2° mensus est. Cf. supra p. 185, n. 10.

Deus qui omnia fecisti virtute tua, et fundasti orbem voluntate Unigeniti tui; qui concessisti nobis mentem veritatis, et notum fecisti nobis spiritum tuum benignum; qui sanctus, qui principalis, qui Filium tuum dilectum unigenitum Verbum, Iesum Christum, Dominum gloriae, dedisti pastorem et medicum animarum nostrarum; et sanguine eius pretioso constituisti Ecclesiam tuam, et universum ordinem Sacerdotii posuisti in ea; et concessisti nobis directores ad hoc ut placeamus Tibi, eo quod scientia nominis Christi tui multiplicata est et glorificata super universum orbem; Tu mitte super servum tuum hunc Spiritum Sanctum et spiritualem, ad hoc ut pascat et visitet Ecclesiam tuam

(*) ⟨*In margine hae rubricae leguntur*⟩.

Et cum Patriarcha legit orationem secreto, Clerici dicunt unum ex hymnis Pentecostes: Misit Deus gratiam suam et veritatem suam.

Episcopi cum ordinantur, sedent super ambo genua sua ut presbyteri Quod habeant speciatim librum Evangelii, quod aperitur super capita eorum: quo intellegant per hoc eos perfectores et consummatores esse illorum qui mundati et illuminati sunt, et cognitores atque doctores mysteriorum divinorum, quae per ipsos perficiuntur.

quae concredita est ei ; ut ordinet sacerdotes, et ungat diaconos, et sanctificet altaria et ecclesias, et benedicat domus, faciat invocationes efficientes, sanet, iudicet, salvet, liberet, solvat, liget, exuat, induat, separet ; et omnem potestatem Sanctorum tuorum da ei, quam dedisti Apostolis unigeniti Filii tui, ut sit princeps sacerdotum laudabilis in honore Moysis, in gradu Aaronis, in virtutibus Discipulorum tuorum, in efficientia Iacobi religiosi (19), in sede Patriarcharum, ut firmentur tecum oves hereditatis tuae per hunc servum tuum ; da illi sapientiam et scientiam, et discat voluntatem dominationis tuae, et cognoscat peccata, sciatque limites iustitiae et iudiciorum, solvat artificia ardua, et solvat omnia vincula iniquitatis.

| *Item oratio alia invocationis Spiritus, quae est* CLE-
f. 76r MENTIS ; *dicitur autem cum promovetur Patriarcha solum* (*).

(19) Syriace pro « religiosi » legitur ܚܣܝܐ, quo solet designari « Episcopus ». Unde oritur suspicio heic designari, post discipulos Christi, famosum « Iacobum Baradaeum », Episcopum Edessenum, antesignanum Monophysitarum Syriae, qui ab illo vocantur « Iacobitae ». Cf. *B. O.* II, p. 62 sq.

(*) *In margine huius orationis legitur haec nota, quae in cod. Vat. partim evanuit* (f. 96r), *et in cod. Borg. imperfecta est.* Ex libro primo Clementis de electione Principum Sacerdotum. In die dominica suscipiet impositionem manus, omnibus congregatis et consentientibus promotioni eius et testimonium perhibentibus de eo, cum omnibus presbyteris, Episcopis. Cum abluerint primum manus suas, presbyteri stent seorsum silentes cum timore, quem in cordibus suis tacite habeant. Oportet ut Episcopi congregati singuli imponant manus super eum dicentes sic : « Imponimus manus super servum Dei, qui electus est in Spiritu, ad κατάστασιν ⟨*seu* constitutionem⟩ firmam et pulchritudinem Ecclesiae, unitatem principatus, et insolubilem invisibilis Dei liberatoris iudiciorum verorum et revelationum sanctarum ac donorum divinorum et doctrinarum fidelium Trinitatis per crucem, per stationem ⟨? resurrectionem⟩, per incorruptibilitatem hanc sanctam Dei ». Dicit rursus Clemens : « Post haec uni Episcopo praecipitur ab Episcopis aliis, ut imponat ei manus dicens invocationem eamdem promotionis sanctae ».

Deus qui omnia in virtute fecisti et confirmasti, et fundasti orbem terrarum cogitatione ; qui exornasti coronam omnium illorum quae a Te facta sunt ; qui dedisti eis ut cum timore custodiant mandata tua ; qui dedisti nobis mentem veritatis, et notum fecisti nobis spiritum tuum bonum ; qui Filium tuum dilectum misisti redemptorem unicum absque labe in salutem nostram ; Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis (20), qui in mundis altitudinibus habitas perpetuo ; qui es altus, et gloriosus, et timendus, et magnus et omnia videns ; qui cognoscis omnia ante exsistentiam eorum ; apud quem erant omnia antequam essent ; qui dedisti illuminationem Ecclesiae per gratiam unigeniti Filii tui, dum praedestinasti ab initio, qui volunt iusta sanctaque faciunt illos, ad habitandum in mansionibus tuis ; qui elegisti Abraham, qui placuit Tibi per fidem, et Henoch sanctum in gazophylacium vitae transtulisti ; qui principes et sacerdotes ordinasti in sanctuario tuo excelso, Domine ; tu qui vocasti ⟨illos⟩, ut in loco gloriae tuae laudarent et celebrarent nomen tuum et ⟨nomen⟩ Unigeniti tui; Domine Deus, qui non deseruisti sanctuarium tuum excelsum sine ministerio ante constitutionem mundi, et iterum a constitutione mundi sanctuaria tua pontificibus et sacerdotibus fidelibus ornasti et condecorasti in typo caeli tui. Tu, Domine, voluisti glorificari etiam nunc, et concessisti ut essent principes populo tuo, illumina et effunde intellegentiam et gratiam, quae ⟨est⟩ a Spiritu tuo principali, quam tradidisti Filio tuo dilecto Iesu Christo ; da sapientiam, Deus, cogitationem, fortitudinem, virtutem, gaudium spiritus, ad faciendum omnia operatione tua ; da Spiritum tuum Deum sanctum, qui datus fuit sanctis tuis ; mitte ⟨eum⟩ Ecclesiae

(20) Cf. II *Cor.* 1, 3.

tuae sanctae et purae, et omni loco sanctificationis tuae; et da, Domine, ut sit servus tuus hic, qui placeat Tibi ad gloriae enarrationem et ad encomium incessabile, ad laudes effusas et opportunas, ad orationes acceptas, ad petitiones fidelium, ad consilia recta, ad cor humile, ad operationem vitae et humilitatis et veritatis, ad cognitionem rectitudinis, Pater cognoscens corda, super | f. 76v servum tuum hunc quem elegisti ad patriarchatum (*), quo pascat totum gregem tuum sanctum, et praesit in pontificatu irreprehensibilis, ministrans Tibi nocte et die; et da ut appareat ipsi facies tua; fac eum dignum, Domine, qui offerat oblationes Ecclesiae tuae sanctae caute cum omni timore; concede autem illi omnem potestatem, quam dedisti Apostolis tuis sanctis, ut insit illi Spiritus tuus dominator ad solvendos omnes nexus, quemadmodum contulisti Apostolis tuis, quo scilicet placeat Tibi in humilitate; et perfice eum in caritate, scientia et intellegentia, in disciplina, in perfectione, in fortitudine et corde puro, dum scilicet orat pro populo, dum devoratur pro illis qui errant et trahit eos ad auxilium, dum offert Tibi laudes et confessiones et orationes in odorem suavem per Filium tuum dilectum Dominum Nostrum Iesum Christum, per quem Tibi gloria et honor et imperium cum Spiritu tuo sancto etiam ante saecula etiam nunc et semper et in generationem generationum, et saeculum sine consummatione saeculi. Amen.

Et cum perficit Patriarcha orationem invocationis, convertitur ad orientem, et extollit vocem suam dicens: Quia tu es Deus dator bonorum et largitor sapientiarum et donorum divinorum, Tibique gloriam efferimus, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc...

Populus: Amen.

(*) ⟨*Alia nota marginalis*⟩.
Hoc verbum « Patriarcha » post tempus multum ordinatum est convenientissime.

Patriarcha: Pax vobis omnibus.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Patriarcha orat orationem hanc inclinatus: Respice in nos, Domine, et in ministerium nostrum, et munda nos ab omni sorde, e caelo dans gratiam pontificalem servo tuo huic, ut mereatur per donum tuum sine reatu pascere populum tuum, et stare pro Ecclesia tua. *Et extollit vocem suam.* Quia Deus volens misericordias es, Domine; et Tibi convenit ab omnibus honor et adoratio, ac Filio et Spiritui Sancto, nunc...

Tunc convertitur iterum Patriarcha ad illum ordinatum; et Episcopi tollunt Evangelium et declinant ab eo, et Patriarcha signat eum pollice suo in fronte dicens. Promovetur in Ecclesia sancta Dei. *Et respondent Episcopi: Talis* Episcopus Ecclesiae sanctae civitatis *talis* dioecesis benedictae.

Iterum Patriarcha repetit idem praeconium dicens: Talis Episcopus, *aut* Metropolita Ecclesiae | f. 77r sanctae loci orthodoxorum praenominatae (21). In nomine Patris Amen † et Filii Amen † et Spiritus Sancti Amen †; *faciens in unaquaque invocatione crucem in fronte eius.*

Tunc apprehendit Patriarcha manum eius dexteram, ut erigat eum, dum unus Episcoporum praedicat et dicit ter vocem hanc ita: Κύριε εὐλόγησον. *Et respondent:* Κύριε ἐλέησον.

Tunc Patriarcha ponit super caput eius cidarim ⟨*maṣnaphto*⟩ *ac dicit:* Ad laudem et honorem, decus et exaltationem Trinitatis Sanctae et consubstantialis, atque ad quietem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Et respondent post eum Episcopi ac totus clerus.

Et iterum accipit Patriarcha casulam ⟨*phaino*, ψαινόλιον⟩ *et induit eum, et idem* « Ad laudem... » *dicit. Et rursus accipit stolam* ⟨ὠράριον⟩, *atque imponit dorso*

(21) Habetur quidem crux post « praenominatae » et deinde adhuc *ter*. At videtur prima illa inutilis, cum expresse dicatur crux facienda « in unaquaque invocatione ».

eius, dicens idem « Ad laudem... ». *Et respondent post eum.*

Tunc adducunt sedem throni, et sedere eum faciunt habentem faciem ad occidentem, et apprehendunt Episcopi et Presbyteri sedem eamque extollunt et circumferunt ter; in qualibet vice incipiat Patriarcha et respondent post eum. Ἄξιος.. Dignus et iustus ⟨est⟩.

Et clamat universus coetus: Dignus et iustus ⟨est⟩.

Tunc unus Episcoporum legit Evangelium (*) *ex Ioanne* (*cap.* X, 1-16) : Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium... ; – *et absolvit ubi dicit:* et erunt unus grex et unus pastor (22).

Et post evangelium unus ex Episcopis proclamat hanc proclamationem ⟨*koruzuto*⟩.

Stemus recte omnes et cum diligentia et cum vocibus Deo placentibus.

Pro Ecclesia sancta et una, catholica et apostolica, quae a finibus orbis et usque ad fines eius, a Domino postulemus.

Pro conventu hoc nostro a Domino postulemus.

Ut sine offensione et cum gratia electio fiat, Domino supplicemus.

Pro Episcopo hoc praesente, Domino (supplicemus).

Pro firmo statu eius et pro timore Dei ⟨*i. e.* religione, pietate⟩, quae ⟨est⟩ in Spiritu Sancto, Domino supplicemus.

Pro eo ut placeat Deo, Sanctum obsecremus.

(*) ⟨*In margine nota, quae in codice Vat.* f. 97v *partim evanuit*⟩. Hanc lectionem Evangelii legit unus Episcopus, dum promotus sedet in throno. Cum vero Patriarcha promotus est, ipse stans legit Evangelium, et quando dicit : Ego sum pastor, clamat populus : Dignus et iustus ⟨est⟩, ter. Et cum explicit, sedet iterum super sedem, donec dixerit.

(22) Citatur *Ḥarklensis*. — *Ioan.* X, 1 : ܕܥܐܠ... ܡܢ ܬܪܥܐ (*Peš.*); hic : ܕܥܐܠ... ܒܝܕ ܬܪܥܐ (*Ḥarkl.*). Item v. 16 : ܘܗܘܘ ܥܢܐ ܟܠܗ ܚܕܐ; *Ḥarkl.:* ܚܕܐ ܡܕܒܪܢܘܬܐ (*hic* ܘܢܗܘܘܢ *marg.*) ܘܢܗܘܐ. Cf. *Vat. syr.* 268, f. 141v, l. 8, et f. 142r, l. 11-12.

Pro ecclesia ipsi commendata, a Domine postulemus.

Pro pulchritudine vitae eius ⟨*i. e.* pro vita eius felici et honesta⟩, ac mansuetudine et humilitate eius et scientia recta, Deum obsecremus.

Pro eo ut promereamur omnes victoriam vocationis supernae, a Domino postulemus.

Omnes nos pro nobis et pro invicem diligenter Dominum precemur.

Et rursus Patriarcha convertitur ad orientem, et orat orationem hanc gratiarum actionis inclinatus.

Gratias agimus Tibi, Domine omnipotens, in omnibus et propter omnia, | et laudamus ac glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnifice egisti nobiscum, et effudisti gratiam tuam super servum tuum hunc ; et petimus a Te et rogamus Te, Domine, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et placeat Tibi chirotonia haec pontificatus peracta super servum tuum religiosum *talem* per adventum Spiritus tui sanctissimi, et adde super vocationem, electionem et sanctitatem et gratiam bonitatis tuae, et da ei super talentum quod accepit. *Et extollit vocem suam.* Ut cum omnibus illis, qui a saeculo placuerunt Tibi et fecerunt voluntatem tuam, accipiat mercedem oeconomorum fidelium et sapientium, in adventu Domini Dei Iesu Christi, quocum Tibi convenit gloria et honor et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo et bono et adorando et vivifico ac consubstantiali Tibi, et nunc... f. 77v

Et rursus convertitur Patriarcha ad illum qui promotus est; et illius manum apprehendens, erigit eum e sede; et afferunt baculum ⟨*murnito*⟩, *et summitatem eius apprehendit Patriarcha, et subtus manum Patriarchae apprehendit unusquisque Episcoporum in ordine suo, et subtus omnes apprehendit baculum ille qui promotus est.*

Et Patriarcha dicit voce et hymno: Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Sion, et dominabitur inimicis

tuis (*Ps.* CX, 2). *Et respondent hoc post eum similiter Episcopi et omnes Clerici. Et cum iterum ac ter ⟨illud⟩ dixerit Patriarcha, ac responderint ⟨illi⟩ post eum, tunc relinquunt baculum in manu illius qui ordinatus est* (*).

Post haec adducunt eum ad mensam, et praebenti ipsi aurem dicit Patriarcha submisse: En coram Deo stas et coram altari eius propitiatorio et coram coetu angelorum sanctorum et hominum horum adstantium, et verbum promissionis et definitionem dominicam coram eis promisisti; quod est vere factum et testimonium morum sanctorum, quos requirit a te vocatio evangelica haec ad quam vocatus es per manus tenuitatis nostrae. Idcirco testem advoco super te Patrem et Filium et Spiritum Sanctum et coetum angelorum, ut custodias te ipsum pure et sancte, sisque vigilans in dioecesi hac quae tibi commendata est, sollicitus omni virtute tua, ut eam pascas iuxta legem apostolicam, non accipiens personas; neque per munus vendas Deum, accipiens ⟨pecuniam⟩ ob myron, aut tabulam ⟨consecratam⟩, aut chirotoniam; propterea reus eris in ministerio; quod oramus Deum ne patiaris quidquam horum. Quod si ausus fueris, et conculcabis conscientiam tuam, ac dedecore affeceris fidem tuam, et profanaveris ordinem apostolicum, tu reddes rationem Deo in die iudicii eius, et nos dehinc liberi sumus a reatu tuo. Oramus autem,
f. 78r ut det tibi Dominus noster, ut constituas | teipsum sacrificium purum et sanctum; et gregem tuum splendere

(*) ⟨*In margine*⟩. Cum autem Patriarcha fuerit ille qui promotus est, cum apprehendit praeses synodi summitatem baculi et unusquisque Episcoporum in gradu suo, post omnes apprehendit ipse, et postquam dixerint vocem: « Virgam fortitudinis », accipit praeses synodi dexteram Patriarchae, et elevat eam super omnes, et apprehendit Patriarcha summitatem, et omnes Episcopi apprehendunt subtus eum, quisque in suo gradu. Rursum addunt et dicunt illud: « Virgam fortitudinis ». Et hoc amplius ostendit quod voluntate sua cum voluntate Spiritus Sancti dederunt ei potestatem super omnes et super totam Ecclesiam.

et crescere facias moribus puris et sanctis; atque laetifices Deum et nostram tenuitatem custodia sancta gratiae quam recepisti.

Oratio super eum. Deus, qui elegit Moysen et magnum fecit eum, et per virgam, quae in manibus eius, operatus est signa et prodigia in terra Aegypti; qui etiam David elegit de post oves fetantes ad pascendum Iacob populum suum et Israel hereditatem suam; qui Apostolos divinos elegit, et fecit eos praedicatores annuntiationis evangelicae, et per manus eorum operatus est omnia signa gloriosa et omnia prodigia; Ipse etiam nunc apprehendat manum tuam dexteram, et pascat tecum oves rationales quae tibi commendatae sunt, armans te vestibus pastoris probati et pulchrae directionis, et complanet coram te omnem altitudinem et offendiculum per orationes Deiparae Mariae et Apostolorum divinorum ac Patrum sanctorum et Doctorum orthodoxorum in saecula. Amen.

Et statim litaniam hanc unus ex Episcopis praedicat, universo clero in silentio stante coram altari.

Stemus recte omnes nos...

Illum, qui personis quidem et proprietatibus notionalibus distincte et non divise trinus cognoscitur, in consubstantialitate vero et natura et honore et potestate una divinitas unice intellegitur et creditur: Pater aeternus ante saecula, et Filius genitus sine initio, et Spiritus Sanctus qui est sine quantitate in qualitate, una unitas quae in trinitate adoratur, et trinitas quae in unitate ab omnibus naturis intellectualibus et sensibilibus agnoscitur, rogamus.

Christe Deus noster, cui in altitudinibus supernis throni fixi, id est sedes confirmatae cum timore et tremore ministrant, non audentes in eius essentiam respicere; et ⟨qui⟩ super terram Pontifices nostros sui participatione dignos fecit, dum sacerdotali sua functione spirituali magnificentissima delectantur, et volis suis

ipsum circumferunt, cum caelum et terra nutu voluntatis ipsius consistant; rogamus.

Christe Deus noster, Tu qui cum Patre et cum Spiritu Sancto possides essentialiter deitatem et principium illuminativum deificationis; et propter philanthropiam tuam cum hominibus conversatus es et Pontifex noster nominatus es; ac ministerium hoc Pontificatus hominibus terrenis commendasti; et sacerdotio f. 78v fungentes, exprimentes | pontificatum caelestem et deificantes atque perficientes hos super terram ostendisti; rogamus.

Tu, qui piscatores erudisti, et indoctos pulchritudine cursus apostolici illustrasti et magnificasti, Pontificem hunc, quem elegisti ad pascendas oves tuas, dirige et erudi charismatis tuis divinis, ut flumina spiritualia iuxta promissionem tuam veram producat, et oves tuas rationales in fluxu haustus potus spiritualis alat; rogamus.

Tu, qui Apostolos tuos sanctos in similitudine solis in orbe habitabili ostendisti; et terram totam rete suae doctrinae ceperunt et ad lucem scientiae verae theologiae adduxerunt; Tu Pontificem hunc claritate alta doctrinae erudi, ut illos qui ⟨sedent⟩ in tenebris ignorantiae illuminet et ad lucem scientiae transferat; rogamus Te.

Pro quiete et pace *etc.*

Concede nobis, Christe Deus noster, ut pro sacerdotali hac functione mystica, qua nos indignos reddidisti dignos, donum illud perfectum consummationis consummationum promereamur, et in Ecclesia primogenitorum ministerio hoc splendido sacerdotali fungamur, et laudem perpetuam in exsultationibus angelicis offeramus, et cum omnibus sanctis spiritualiter choreas ducentes clamemus et dicamus ter Kyrie eleison.

Post litaniam autem incipiunt hymnum alicuius e Doctoribus, cuius nomine insignitur ille qui ordinatus est. Et Patriarcha et Episcopi dant ei pacem. Reliqua

autem turba benedicitur ⟨manu⟩ eius dextera; et dat ei pacem. Et adducunt eum ad portam altaris, et signat totum populum baculo ⟨murnito⟩, quem manu ⟨tenet⟩, signaculo crucis ter. Et benedicitur ab eo totus populus; et tunc participant de mysteriis vivificis, et perficit oblationem illi qui promotus est, et Patriarcha commendat ⟨adstantes divino favori; seu: benedicit eis⟩.

Explicit etiam ritus hic exacte et valde lucide ac perfecte.

XXIII
‹DE DISCIPLINA ARCANI›

Scholion quo ostenditur, quod omnia haec ministeria mystica non coram populis alienis ceu ad gloriam inanem et superbiam oportet perficiamus, sed in abdito, et caste et modeste et mystice; quia Mar Iacob Edessenus (1) ex epistula ad Ioannem ‹dicit›: Necesse est ut occludantur portae ecclesiae in instanti Eucharistiae, et etiam tempore hoc, quia neque auditores sunt illi, propter quos occludebantur aliquando portae ecclesiae, sed propter Hagarenos ‹*i. e.* Mahumetanos› qui regnant hodie, ne ingrediantur, ac faciant perturbationem in populo Domini, et irrideant mysteria sancta, videntes illa quae non intellegunt neque debent videri. Et rursus ad hoc ut collegant fideles mentem suam a terrenis, necesse est ut claudantur portae.

Similiter dicimus nos, quod illud quod scriptum est in ministerio myri divini (2), cum dicit diaconus: « Manete vos (3) qui dimissi sunt » *etc.*; et « Claudite portas », hanc sententiam Doctorum consectatur. Et propterea antiqui, ut plurimum, in monasteriis et locis occultis perficiebant haec divina et perfecta.

Similia his innuit nobis verbum illud Elisei prophetae, qui cum venisset ad ipsum mulier Obediae implorans, dixit | ei: « Quaere tibi vasa, et pone in eis aquas », f. 79r
quae conversae sunt in oleum (4). — Illa mulier autem

(1) Loco nominis haeresiarchae scribit I. Al. ASSEMANI: « Doctores dicunt ».

(2) Cf. supra p. 16, l. 25; p. 26, l. 26 sq.

(3) Sic! syriace ܦܘܫܘ, loco ܦܘܩܘ: *egredimini;* forsitan mendo intento in scholio de arcano. Supra legebatur: « Exeant » vel « Ite ».

(4) IV *Reg.* IV, 1-7.

Ecclesiam designabat, et Eliseus Christum, duo filii eius populum et populos, creditor satanam; vasa olei nos sumus. « Clausit ostium super se et super filios suos » (5). Dominus quoque noster hoc praecepit, ut quando oramus, claudamus portas cordium nostrorum, et ingrediamur in cubiculum nostrum intellectuale (6). Et Christus oleum laetitiae mittet in animas nostras, id est in vasa nostra intellectualia. Ex his mysteriis accepit Ecclesia similitudinem, ut quando consecrat Mysteria, claudat portas mystice.

Quicumque legit fideliter, et contemplatur mysterium prudenter, et intellegit vim verborum sanctorum sufficienter, oret, et persolvat orationem legitime peccatori qui scripsit accurate; et ipse quoque propitiationem obtineat perpetuo.

(5) *Ibid.* v. 5.
(6) *Matth.* VI, 6.

XXIV
ENTHRONISMUS EPISCOPI

Item scribimus ordinem enthronismorum, id est sessionis super sedem Episcopi et Metropolitae et Patriarchae recenter intrantis ad dioecesim suam.

Post orationem matutinam ⟨ṣaphro⟩ induunt Episcopi ordines suos ⟨vestes sacras⟩, et stant in pulchritudine ordinationis, et etiam vestiunt Pontificem novum, et incipiunt ac dicunt laudem canonis huius: Dominum Deum glorificemus.

Dominum Deum glorificemus, qui elegit patrem nostrum hunc, et fecit eum pastorem pascuae suae, quem oportet glorificemus. (Gloriosus enim et glorificandus est) (1).

Dominum Deum glorificemus, qui dedit in manus tuas, Pater noster, potestatem ligandi in altitudine et profunditate, quem (oportet glorificemus...).

Confortatum est cor meum. Non est sanctus.

Veni in pace, Pater noster sancte, et Pastor vere ac splendide; visita oves tibi commendatas in similitudine Petri, ut cum venerit rex Christus, revelata facie ⟨*i. e.* cum fiducia⟩ occurras ei, et accipias mercedem et retributionem.

Per universum populum Doctorum transivisti, o Pater noster sancte, et fidem immaculatam confirmasti, electe Mar *talis;* et ideo corona gloriae servata est tibi, quam retribuet tibi in fine temporum Christus Deus noster.

Beatae oves tuae, o Pater noster, quae promeruerunt audire cantus tuos, et videre vultum tuum splen-

(1) Verba uncinis inclusa addit cod. *Borg.*

didum, ac benedici per orationes tuas, et cum laetitia et exsultatione efferre gloriam illi qui elegit te, Pater noster plene pulchritudinibus altis.

Ad: Benedictus es, (Domine). Tu qui in principio.

Veni in pace, Legate, qui fers signum crucis lucidae cum hilaritate mentis tuae. Benedictus.

f. 79v Species et decus sacerdotii collatum est tibi | a Christo qui elegit te, Pater noster, ut pascas oves illius cum castitate et sanctitate. Benedictus.

Ad: Benedicite omnes. Ille qui in monte.

Exsulta valde et laetare, Ecclesia sancta fidelis, in Pastore diligenti et Antistite provido, qui a Spiritu Sancto electus est et notus fuit ; Domino...

Elegit te Deus ex ovibus suis, o beate ; quia vidit in te castitatem et sanctitatem, etiam principatum sacerdotii sancti dedit tibi ; Domino...

Ille qui ostendit ipsum lucidum et vas electum, patrem nostrum Mar *talem* beatum, et en oves eius canunt gloriam Domino, qui elegit eum ; Domino...

Ad: Magnificat (*Luc.* I, 46). Illi nato abscondito.

Stola principatus sacerdotii amictus es, o Pater noster, et tamquam Melchisedech pontificatus tibi commendatus est, o Pastor ; et en grex tuus canit gloriam Domino, qui te elegit, ut per orationes tuas custodiantur omnes filii eius ⟨*i. e.* gregis⟩. Veni in pace, o Pater noster sancte. Apostole electe et princeps sacerdotum ; veni, visita gregem tuum, qui exspectat vocem cantuum tuorum iucundorum, et expelle ab eo lupum, qui ipsum dilacerare sitit, ut per orationes tuas salventur animae omnium nostrum.

In hac die adventus tui, o Pater noster sancte Mar *talis*, laetatur et exsultat grex tuus, et canit gloriam illi qui elegit te, teque fecit Pastorem, qui regas oves eius cum sollicitudine, ut per orationes tuas...

Vultum gloriosum in aspectu suo vidimus in te, o Pater noster, et gaudium, exsultationem ac laetitiam, et dona gratiarum actionis attollamus tibi, Pater et Fili

et Spiritus Sancte, qui elegit te, propterea incessanter omnes glorificamus...

Et ponunt « sedro » Apostolorum et Doctorum ; et cantum hunc ⟨tono⟩ : Ego sum lux vera.

Veni in pace, Pastor vere et gubernator sapiens, fundamentum Ecclesiae ut Simon, et Paulo totus similis, frater et amice prophetarum, ac zelator ut Elias, et virgo ut Ioannes. Beata Ecclesia tua, quam visitasti, Pater noster pie et sancte.

Veni in pace, decus et honorificentia orthodoxorum verorum, qui in tempore pleno corruptione claruisti in timore Dei ; nam non confudisti fidem ; gloriatur in te Ecclesia sancta et exspectabat te videre : et sicuti conservasti unitatem, ⟨ita⟩ servata est corona tua in caelo.

Elegit te Dominus tuus e medio sociorum tuorum, ut Davidem e medio fratrum suorum. Davidem cornu exaltavit ; et te magnificavit puritas tua. Interfecit David leonem et lupum et occidit Goliath gigantem ; et tu, Pater noster pie, occidisti | dolosum qui pugnat nobiscum. Benedictus est, qui dedit tibi victoriam. f. 80r

Deus, qui elegit Eliam prophetam castum et sanctum, et dedit Aaroni sacerdotium et claves Simoni Cephae, ipse illustret Paternitatem tuam in capite totius gregis tui ; et sicut gavisus est Simon senex dum portavit Christum, ⟨ita⟩ laetatur et exsultat grex tuus.

Cantus alius, 2 « *Quqoïo* » (2).

Neque regibus, neque iudicibus, nec principibus dedit Deus potestatem qualem ⟨dedit⟩ Apostolis suis : dedit in manu eorum remissionem debitorum, etiam potestatem altitudinis et profunditatis ; et ipsi ligant super terram, et audit eos. Benedictus qui magnificavit potestatem eorum in quattuor finibus.

Pastores veri state in facie ovium vestrarum, quia veniet Maximus Pastorum, et eas requiret a vobis. Alligate confractos, sanate aegros, et exite ad inquisitio-

---

(2) Cantus species ; cf. PAYNE SMITH, col. 3557.

nem eorum qui perditi sunt. Accipite vobis armaturam crucem, per quam debellatur malignus, et salvate oves Christi, quas commendavit manibus vestris. Alleluia et Alleluia.

Veni in pace, o Pater noster theophore, discipule veritatis et rectitudinis, qui a Domino missus es. Veni in pace, Pastor vere, qui plenus es quiete et salute pura. Veni in pace, ferens claves domus Dei. Pax veniat nobis tecum a Domino, qui elegit te. Alleluia et Alleluia.

Veni in pace, Pater benedicte et sacerdos splendide. Christus custodiat sacerdotium tuum in Ecclesia sancta ; suaveoleat odor tuus Domino sacerdotii, et sit anima tua thuribulus reconciliationis ; sit os tuum cithara canens gloriam Domino, qui fecit te antistitem et in Ecclesia pastorem.

Precatio Mar Iacobi (3).

Veni in pace, Apostole electe domus Dei, qui venisti ut praedices (4) evangelium Filii ⟨Dei⟩ amanter. Veni in pace, Pastor bone, qui missus es nobis, ut pascas cum caritate oves, quas acquisivit Filius in cruce.

Veni in pace, cithara cantuum dulcis melodiae, quia sitit grex tuus audire vocem doctrinae tuae. Veni in pace, praedicator veritatis et praedicans quietem : pax Domini tui sit nobis murus per orationes tuas.

Veni in pace, Pastor bone plene triumphis. Beatae sunt oves tuae, ad quas venisti, et quae meruerunt te videre. Christus, qui dedit tibi ut pascas oves suas cum diligentia, dignum te faciat denique ut recipias eum cum fiducia.

Gloria Patri, qui elegit te, Pater noster, Pastorem ovibus suis ; et adoratio Filio, qui tradidit in manus tuas Ecclesiam suam electam ; confessio Spiritui, qui

(3) Forsitan coryphaeus Iacobitarum.

(4) Syriace relativa sententia legitur in *tertia* persona : « qui venit ut praedicet ».

suo illapsu | praesanctificavit te. Benedictus est qui te f. 80v fecit pastorem Ecclesiae suae et caput populo suo.

Tunc Episcopi et sacerdotes et diaconi induti et ferentes Evangelium, crucem, flabella, et cereos, hoc est, luminaria, ac thuribulum et aromata, circumeunt in processione, dicentes supplicationes, uti illam : De caelo descendit Spiritus paraclitus ; *et :* Beata es Ecclesia, quia en personat in te veritas Domini tui. *Et ascendunt in « bêma » dicuntque laudationem ⟨hûlolo⟩. Et legit Pontifex novus Evangelium, lectionem hanc :* Ego sum pastor bonus, *quae est in Ioanne* (*cap. X*).

Et post Evangelium praedicat Diaconus litaniam hanc

Stemus recte (omnes) *etc.*

Christe Deus noster, qui piscatores erudisti, et illiteratos illuminasti, et idiotis scientiam omnibus scientiis altiorem concessisti, Pontificem hunc quem vocasti ad pascendas oves tuas virtute tua perfice, ut antistes fortis et director verus ⟨sit⟩, qui ad vitam adducat filios Ecclesiae Sanctae usque ad consummationem. Rogamus.

Christus Deus noster, Pastor bonus et verus, neque temporalis in essentia sua aeterna, ipse regat tecum, Pater noster, gregem suum hunc quem tibi tradidit, secundum decentiam Spiritus sui sancti. Rogamus.

Ut sit tibi director et doctor, atque tecum pascat illum ⟨*i. e.* gregem⟩ apostolice et convenientia divina, ut triumphantem et immaculatum constituas eum coram ipso (5). Rogamus.

Complanet coram te omnem collem, offendiculum et scandalum, ut in via trita et plana ac beata ambules, et oves tuas dirigas ad terram promissionis illius spiritualis. Rogamus.

Cum flumina doctrinarum eructas ex ventre tuo, et veritatem mundam per linguam tuam effundis, secun-

(5) Cf. *Eph.* V, 27.

dum promissiones eius veras et non fallaces. Supplicamus.

Cum tamquam luna firmabitur sedes tua in pulchritudine sessionis apostolicae ; et iustitia et sanctitate illustraris. Rogamus.

Cum tamquam sol luces iustitia ; et tenebras ignorantiae ab oculis gregis tui dissipas splendore scientiae divinae. Rogamus.

Assistat tibi Dominus, et tecum scilicet et apud te sit semper secundum promissionem suam veram usque ad ultimum spiritum. Rogamus.

Dirigat prospere omnia tua, et adducat ad te illos qui remoti sunt, ut cum ipsis reconcilies etiam illos qui divisi sunt, et ita cum ipso sis, et ipse tecum usque in
f. 81r finem. | Ad quem omnes clamamus ter : *Κύριε ἐλέησον.*

Tunc collocant eum super thronum, et elevant atque circumferunt eum ter, clamantes: "Ἄξιος. Dignus et iustus ⟨est⟩.

Tum ipso sedente, surgit unus ex Episcopis et legit συστατικόν, id est commendationem ⟨seu: commendaticias litteras⟩ eius.

Et postea loquitur ipse verbum, quantum gratia dederit ei, et persolvit orationem omnibus in ordine.

XXV

HOMILIA MAR DIONYSII BAR ṢALIBI IN ENTHRONISMO (1)

Item homilia dicta a Mar Dionysio, *metropolita Amidae, qui est* Iacob bar Ṣalibi *defunctus* ⟨† 2 Nov. 1171⟩. (2).

Carissimi mei. Hodie exsultatio, hodie gaudium, hodie laetitia in collocatione Principis sacerdotum super sedem honoris. Vere nobiscum canat David dicens : « Laetentur caeli, et exsultet terra » (*Ps.* XCV, 11), id est caelestes et terrestres.

---

(1) Textus syriace editus est cum versione gallica a cl. I. B. Chabot, *Discours de Jacques (Denys) bar Ṣalibî à l'intronisation du Patriarche Michel le Syrien*, in *Journal Asiatique* Serie X, t. 11 (1908), p. 87-115.

— Bene nota. Pagina 88 scribit idem Chabot, codicem *Vat.* syr. 51 fuisse « copié par un certain Abou'l-Faradj, en 1572 de notre ère ». Deinde in nota levius addit : « Dans le *Cat. Bibl. Vat.* t. II, p. 327, on propose à tort de corriger cette date », ne ullo quidem verbo addito ad refutandas rationes a clarissimis St. Ev. et I. Sim. Assemani datas ad corrigendum mendum amanuensis. Igitur loco ܘܬܡܢܐ ܐܠܦ 1883, proponunt illi legendum esse ܘܐܪܒܥ. 1483 Graecorum, seu 1172 *p. C.* Abulpharagius enim affirmaverat se descripsisse codicem suum ex apographo Michaelis († 1199). Et pag. 80 propria manu scripsit Episcopus Syro-Iacobita Dionysius se ordinasse diaconos et presbyteros pro ecclesiis insulae Cypri an. Graec. 1765 et 1768, hoc est Christi 1455 et 1457. Ante igitur annum Graec. 1883 hic codex iam fuerat exaratus. De cetero ipsa condicione materiali codicis, et maxime vetusta calligraphia illa antiquitas evidenter comprobatur.

(2) *In margine cod. Vat. legitur sequens historica nota, omissa in codice Borg.:* « Hanc homiliam dixit, quando faciebant venerandi ⟨: Episcopi⟩ enthronismum patris domini nostri Mar Michaelis Patriarchae illustrati a Spiritu in Mar Ḥanania, coenobio famoso prope Marda ».

Hanc festivitatem Principis principum sacerdotum (3), in enthronismo huius maximi pastorum (4), figurant nobis verba sacerdotalia ; illud ⟨scilicet⟩ : « Qui sedes super Cherubim, manifestare » (*Ps.* LXXX, 1) ; et « Sedet Dominus rex in saeculum » (*Ps.* XXIX, 10) ; et : « Vere habitat Deus super terram » (III *Reg.* VIII, 27) ; et : « Firmamentum fecisti sessioni tuae, Domine, Ecclesiam tuam » (*Ex.* XV, 17). Ille enim qui sedet super Cherubim ob illuminationem et puritatem eorum, ipse est qui sedet, seu commoratur in illis qui custodiunt vias eius et ambulant in mandatis eius, quorum unus, quinimmo qui constitutus est in capite eorum, est hic pastor sapiens qui hodie en circumfertur super thronum, seu sedem honoris sacerdotii. Et ubi rursus sedet rex et habitat in saeculum, nisi in illis qui animam suam fecerunt ei domum habitationis? « Domine, inquit, domus habitationis factus es nobis in generationem generationum » (*Ps.* XC, 1). Et : « In quem respiciam, et ⟨in quo⟩ habitabo, nisi in mitibus et humilibus ac timente verbum meum? » (*Is.* LXVI, 2). Et quis est dignus esse habitaculum Domino, uti hic princeps patrum? (5) Et quis apparuit humilis in aevo nostro sicut iste? Et ideo est elevatus ad gradum hunc. Et in quo visa est mansuetudo superans et excedens ⟨mansuetudinem⟩ huius? Itaque factus est mansio Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Vere igitur habitat Deus super terram. Proprie id fecit, cum induit corpus humanum, cum dispensatorie conversatus est in mundo. Et spiritualiter etiam habitat Deus super terram, id est in hominibus, qui ex terra formati sunt, quotiescumque hi meditantur divina et virtutes colunt. Unde cum hic quoque Princeps sacer-

(3) *Item nota omissa in cod. Borg.:* « Attamen ⟨ad⟩ : principis principum sacerdotum ⟨*seu* pontificum⟩; quando volunt hoc dicere de Episcopo dicent : « principis sacerdotum ⟨*seu* pontificis⟩ ».

(4) Item : « huius pastoris ».

(5) Item : « princeps sacerdotum » oportet dicere de Episcopo.

dotum mundavit terram cordis sui et lavit tunicam animae suae, firmiter | sedit et habitavit in eo Deus per f. 81v honorem principatus sacerdotii. « Omnes siquidem vos, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis » (*Gal.* III, 27). In baptismo induimus Christum ; et in principatu quoque sacerdotii ac sacerdotio illum ipsum et Patrem eius ac Spiritum eiusdem sanctum induimus, dum interius tribus moeniis munimur. « Et firmamentum, inquit, fecisti sessioni tuae, Domine, Ecclesiam tuam » (*Ex.* XV, 17). Si enim Ecclesia congregatio fidelium est, et cum firmatur moribus virtutis, habitat et sedet in ea Dominus ; hic autem Pastor, qui hodie sedet super sedem fortitudinis, et a pueritia sua seipsum humilitate praeparavit, et animam suam sanctitate ornavit, ac conscientiam suam mundavit a sordibus, et confirmavit ipse se in virtute, quanto magis idoneus est ut sit locus sessionis Domino? Et quemadmodum ⟨ipse⟩ recumbit et sedet super hanc sedem ligneam, similiter habitat in eo virtus divina quae et recumbit ac requiescit in eo. Porro si in sede, sensatione destituta, habitat rationalis quique conditus est ad imaginem Creatoris ; quanto magis habitabit et sedebit in rationali et castitate ornato Deus, dator rationalitatis et fons verbi et sapientiae ac scientiae? Verum cum sermo ad montem sublimem et intellectualem dignitatis, scilicet ⟨ad⟩ honorem huius principis sacerdotum elevatur, seu potius conatur pervenire ac de illo fari cupit, non solum ad extremitates alicubi (non) (6) pervenit ; sed in distans ab eo apparet ob illius praestantiam. Et expedit illi qui vult sermonem incipere, ut decem sensus mundet, et mentem, quae novem regit, ad altitudinem scientiae elevet, et sensim tamquam per scalam ascendat ad altitudinem sensuum divinorum Datoris sacerdotii et Domini pontificatus.

Sacerdotium ⟨ܟܗܢܘܬܐ⟩ vero, carissimi mei, ab uber-

(6) Videtur in codicibus deesse ܠܐ *non*, hic uncinis inclusum.

tate ⟨ܟܗܝܢܘܬܐ⟩ ducit etymon. Quemadmodum enim ille, qui ubertate divitiarum affluit, abundans ⟨*seu* uber, ܟܗܝܢܐ⟩ dignoscitur, similiter et sacerdos ⟨ܟܗܢܐ⟩. Sacerdotium itaque explicatur ubertas charismatum caelestium, quae concessa sunt a Deo. Sacerdotium autem evidenter a Deo datum est iuxta illud : « Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam ». (*Psalmus* CXXXVIII, 5). Per illud quod dixit : « Formasti me », indicavit formationem hominis a Deo ; et per illud : « Posuisti super me manum tuam », significavit charisma sacerdotale, quod dedit, et cognominatum est sacerdotium.

Pontificatus ⟨ܟܘܡܪܘܬܐ⟩ vero explicatur maestitia ⟨ܟܡܝܪܘܬܐ⟩ sacerdotis ob peccata populi.

Et cum ita sit sacerdotium et pontificatus, venite,
f. 82r scrutemur unde et quomodo deductum sit ad nos | sacerdotium. Iamvero Deus, qui sublimis est in sua exsistentia, cuiusque plenitudo et ubertas est infinita, sua simplici caritate et sua incomparabili misericordia ecclesias caelestes constituit sacerdotes, Cherubim nempe, Seraphim et Thronos. Et ex his primis secundi sacerdotes facti sunt, Potestates scilicet, et Dominationes ac Virtutes. Et per hos ad Principatus, Archangelos et Angelos deductum est sacerdotium ad ecclesam tertiam, ex qua ad nos gratia divina deduxit sacerdotium.

Et propterea ponimus in eo gradus et ordines similes. ⟨Primo ponuntur⟩ Patriarchae, Metropolitae et Episcopi ad similitudinem Cherubim, Seraphim et Thronorum. Et quemadmodum illi superni aequales in virtute et charismatis sunt, et unus alium illuminat ; ita et in Ecclesia inferiore : aequales enim sunt in virtute et charismate illi tres coetus, et unus alium illuminat.

In ecclesia autem secunda, quae apud nos, habentur Presbyteri et Diaconi et Subdiaconi. Et in tertia, Lectores, hoc est Doctores, et Cantores, ac Psaltae, hoc est oratores.

Hos coetus supernos et inferiores designabant etiam

gemmae, quae in rationali super pectus principis sacerdotum ordinabantur (7). Hoc charisma et ⟨hunc⟩ ordinem sublimem possidebat princeps sacerdotum magnus. Et quemadmodum superiores illuminant eos, qui sub ipsis sunt, sic et hic pastor Mar *talis* illuminat omnes ordines et coetus qui in Ecclesiis (8), et promovet atque elevat unumquemque de gloria in gloriam, et de virtute in virtutem, et hoc non quomodocumque et inconsulto, verum cum disquisitione multa, scrutinio exacto, cum habeat Paulum dicentem ipsi : « Manus cito nemini imponas, neque communices peccatis alienis » (I *Tim.* V, 22).

Hic non mutatur secundum tempora, neque accipit personas et vultus in iudicio ; sed ante faciem suam semper ponit Dominum, ⟨qui⟩ est a dextera eius, ne commoveatur ; hunc non terret nec perturbat angustia saeculi huius, tantum pertimescit iudicium servatum operantibus mala ; hunc nusquam alliciunt desideria, iucunditates, gloriae nec divitiae mundanae, quoniam expetit et desiderat suavitatem quae non transit, et gloriam quae non dissolvitur, et divitias veras ; hic amplius quam Aaron unctus est, non unguento corporali, sed in Spiritu Sancto, hic non perizomatis et tintinnabulis aureis ornatus est (9), sed stola angelica, pallio Christi, cidari spirituali significante nobis mysteria sindonis, | quae ⟨erat⟩ in capite Salvatoris, et vestimentis f. 82v
albis significantibus gaudium et exsultationem spiritualem, baculo pastorali significante virgam fortitudinis principatus sacerdotii, cui innititur, et qua subdit pascua et greges (10).

---

(7) Cf. *Ex.* XXVIII, 15-30.

(8) *In margine:* « *Episcopus ipse* ⟨i. e. *si agatur de Episcopo*⟩ : in Ecclesia sua, *dicendum est* ».

(9) Allusio ad vestes quibus indutus erat Summus Pontifex aaronicus fungens officio suo ; cf. *Ex.* XXVIII, 33-35 ; XXXIX, 23-24.

(10) *In margine:* « In grege suo et in gradu suo, *dicitur de Episcopo* ».

Hic valde similis est Samueli, gubernatori Hebraeorum, quia etiam per vota datus est, et per vota institutus est, et in templo educatus est, atque per ieiunia et orationes communitus est, et doctrina involutus est. Et quemadmodum Samuel ministravit coram Heli sene quoad a Deo vocatus est ad ipsius ministerium, hic etiam Pater noster electus coram sene ministravit in monasterio sancto. Et quemadmodum Samueli iudicium concreditum est super universum Israel, similiter etiam hunc constituit Deus Patriarcham, seu Patrem principum eique concredidit totum populum suum et Ecclesiam suam quae est in universo orbe (11). Et quemadmodum Samuel « videns » cognominatus est (12), hic etiam est « videns » Spiritus Sancti, qui praefecit eum thesauro mysteriorum suorum. Et quemadmodum Samuel pluviam descendere fecit per suam orationem (13), sic etiam hic pastor sanctus pluere facit doctrinas evangelicas : est enim « fons signatus et hortus conclusus », sicuti scriptum est (*Cant.* IV, 12), qui cum tempore suo aperiuntur, dant vitam veram.

Hanc porro inthronizationem sacerdotalem super sedem apostolicam figurabat Salomon sapiens per sedem quam sibi constituit. « Fecit sibi, inquit, Salomon sedem ex lignis Libani ; columnas eius fecit argenteas, lectum eius ex auro purissimo, opertorium eius ex purpura, et interiora eius strata caritate » (*Cant.* III, 9-10). Per ligna autem Libani illos nobis designavit, qui moribus sublimes perveniunt ad staturam spiritualem. Per columnas autem argenteas significavit illos, qui probati et mundati sunt septies in virtute. Per lectum autem aureum illos denotavit, qui consummati sunt et effecti thronus Salomoni vero, qui est Christus Deus ; et

---

(11) *In margine: « Si fuerit Episcopus, dicitur:* Eique concredidit Ecclesiam et Dioecesim quae ipsi commendata est ».
(12) I *Sam.* IX, 19.
(13) I *Sam.* XII, 17-18.

per opertorium purpureum illos, qui sanguine suo reconciliarunt mundum ad imitationem ipsius Christi, qui per purpuram, qua passionis suae tempore indutus est, Patrem suum pacavit pro mundo. Interiora autem eius caritate strata docent caritatem divinam, undique stratam et circumseptam, quae conservat timentes nomen ipsius, ut dixit : « In hoc cognoscet mundus quia discipuli mei estis, si manseritis in dilectione mea » (*Ioan.* XIII, 35 et XV, 10).

His omnibus signis sublimibus refulget hic pastor | [f. 83r] novus Mar *talis*, quem videtis, qui en stat in capite Ecclesiae, et meruit proximitatem Dei, sicuti et Isaias ille laudabilis. « In anno enim quo mortuus est Ozias », cuius diebus prophetia cessavit ab eo, quia non corripuit regem, recte dixit : « Vidi Dominum sedentem super sedem, et ea quae sub ipso erant ‹*i. e.* fimbriae vestis eius› replebant templum eius, ac Seraphim stabant supra ipsum » (*Is.* VI, 1-2). Pater quoque hic benedictus sedet super thronum honoris, et specie ac decore sacerdotii amictus est, ac replevit ornavitque templum hoc ; et in similitudine Seraphim circumdant eum principes sacerdotum et sacerdotes et diaconi decantantes sanctificationes Deo, qui ad sui ministerium elegit eum.

Idipsum praeterea praesignavit Daniel, vir desideriorum, cum dixit : « Videbam sedes positas, et antiquus dierum sedit » (VII, 9) ; et demonstravit per hoc iudicium, quod facturus est in fine ipse Dominus. Et hic etiam princeps sacerdotum, cui posita est sedes honoris, quique collaudatur a coetu, significat quod voluntas eius requiescit in iis qui praecepta evangelica adimplent ; iudicat vero iuste et increpat eos qui currunt ad peccatum.

Illud quoque quod Angelus dixit Iosepho de Christo : « Dabit ei Dominus sedem David, patris eius, et regnabit » in regno eius (*Luc.* I, 32-33), indicat potestatem eius spiritualem. Ipse est qui dedit sedem et potestatem principi huic, ut per mediationem eius ve-

niant e finibus, et adorent Deum vivum, et dicant cum laetitia cordis : « Vere hoc est semen, cui benedixit Dominus » ; et « Haec est radix, quae germinavit et floruit ex terra sitienti » (14), id est ex Ecclesia sancta ; et odore suo recreat omnes odoratus. Diem enim hunc, in quo sedit Princeps sacerdotum in capite Ecclesiae suae, innuit nobis Christus, cum promisit Apostolis suis sedem, dicens : « Vos qui secuti estis me, et custodistis praecepta mea, in altero adventu sedebitis super duodecim sedes, et iudicabitis duodecim tribus » (*Matth.* XIX, 28). Et nunc quoque hic princeps honorabilis, qui secutus est Christum Dominum nostrum a pueritia sua, et custodivit mandata eius, en etiam ab hinc accepit pignus promissionis, et ibi cum ipsis Apostolis sanctis sedebit et iudicabit illos, qui non recipiunt praedicationem divinam, quam tenet et praedicat.

Verum, carissimi mei, cum haec et similia intelle-
f.83v xeritis in adventu pastoris | spiritualis ad vos, quales oblationes debetis eidem offerre, potissimum per manus eius Christo? Existimo autem quod a nobis, ministris ac dispensatoribus mysteriorum petatis, ut dicamus vobis, quae et qualia munera debeatis offerre pro compensanda simili visitatione bona et incomparabili, qua visitavit vos Deus. Porro dicimus vobis iterum, filii dilectissimi, et prudenter intellegite, quod neque aurum nec quidquam prorsus ex materiis terrae, quae fluit et infra manet, bona, quorum maximam partem possident mali et tenebrosi, praecipimus vobis offerre pastori sancto ; neque ipse exspectat a vobis similia. Sed debetis offerre retributiones bonas, oboedientiam et custodiam praeceptorum.

Sacerdotes nempe et diaconi offerant εὐταξίαν ⟨*seu* bonum ordinem, rectam disciplinam⟩, castitatem, sanctitatem, ministeria angelica, vigilantiam in officio, diligentiam in orationibus, sedulitatem in doctrinis sanctis et lectionem librorum sacerdotalium, assiduitatem in ministerio ecclesiarum, caritatem mutuam, sollicitudinem erga oves et agniculas.

(14) *Is.* LIII, 2.

Agmen autem monachorum debet offerre humilitatem, et oboedientiam, luctum ex anima, abstinentiam a materialibus, crucifixionem mundo, alienationem a concupiscentiis immundis, vigilias assiduas in orationibus et lectione atque auditione librorum sanctorum noctibus et diebus, temperantiam ab escis et custodiam labiorum a calumnia et ab omni specie reprehensibili.

Ordo etiam principum debet offerre pulchram docilitatem et submissionem erga praecepta evangelica, misericordiam erga pauperes, amorem erga miseros et eos qui ex eodem luto et mixtura sunt, mansuetudinem, suavitatem, benignitatem, misericordiam, sicut ipse quoque magnus Paulus olim praecepit, et nunc et omni tempore per hunc pastorem sanctum dicit vobis : « Ne extollamini cogitationibus vestris, neque confidatis in divitiis in quibus non est fiducia, sed in Deo vivo, qui dedit nobis omnia abundanter ad nostram quietem ; et lucramini per opera bona divitias, quae non transeunt » (I *Tim.* VI, 17 sqq.).

Totus demum populus, viri, mulieres, senes et adulescentes, sacerdotes et populus, divinis doctrinis per pastorem verum eruditi, ne indigeatis per baculum, sed per sibilum ad sanctum ovile adduci, mundantes
vos ab oppressione et violentia, ab | usura et faenore f. 84r
sordido, ab omni avaritia, et a contumeliis et opprobriis, ab odio et invidia, a fraude et hypocrisi, ab ira, furore et iracundia, a concupiscentia turpi et prava, adulterio, fornicatione, pollutione, et a reliquis speciebus peccatorum. Sed quid, impraesentiarum promittitis haec perficere, o filii benedicti? Obsecro et persentio vos esse paratos : « Gaudete itaque, et exsultate in Domino » (*Ioel* II, 23). Tu quoque, o Pater sancte, ⟨laetare⟩, videns similes filios a te possideri. Laetamini autem et

exaltamini quoque vos, venerandi ⟨*i. e.* Episcopi⟩ sancti adstantes, quia labor vester tulit fructus Domino.

Et ipse quidem Beatus (15), et omnes Patres qui una cum ipso congregati estis in hac sancta congregatione, tribuite per nos orationes et benedictiones omnibus hominibus. — Principi civitatis et regionis benedictae honorem magnificet Dominus, eiusque potestatem clarificet, et imperium eius dilatet, et det ei virtutem victoriae supra omnes adversarios ; accrescat vitam eius, et in cor eius immittat misericordiam erga totum populum suum ; ac ministris ipsius honorabilibus praestet, ut una cum eo eiusque iussu omnibus fruantur bonis. — Et principes etiam christianos honorandos, qui sunt patroni ecclesiarum et monasteriorum, Christus Deus sua virtute corroboret, sua spe confirmet, eosque regnum caelorum hereditare concedat. — Presbyteris et diaconis, monachis et virginibus, viris ac mulieribus, pueris et adulescentibus det Dominus custodiam et liberationem ab omnibus nocumentis. Omnes vos congregatim benedicat Deus, et culturas vestras et mercaturas vestras, ac multiplicet redditus vestros, ditet possessiones vestras, fructus agrorum vestrorum adaugeat, et adaperiat vobis thesauros benedictionum suarum ; liberet vero, eruat et salvet vos ab omnibus malis, et propitietur debitis vestris, deleat peccata vestra, quietem concedat defunctis vestris in sinibus abrahamiticis.

Haec viatica orationum suscipite, filii benedicti, e manibus nostris per pastorem, qui vobis a Deo concessus est. Ipsum autem Dominum, qui eum elegit et constituit ad sui ministerium, obsecramus ut det ei vitam longam, et Ecclesia eius diebus exaltetur et clarificetur ; atque nos, humiles et peccatores, qui sponsum sanctum deduximus ad sponsam spiritualem, et festum egi-

(15) Hic titulus ܛܘܒܢܐ: *Beatus*, designat Patriarcham, qui vocatur : *Beatitudo...*; dum sequens vox ܐܒܗܐ *Patres*, designat Episcopos.

mus in thalamo spirituali, promereamur miserationes et clementiam per gratiam et benignitatem Domini nostri Iesu Christi et Patris eius ac Spiritus eiusdem sancti in saeculum saeculorum. Amen.

| *Hanc homiliam, quam scripsit et proclamavit Episcopus sanctus in die qua ingressus est Pater et Dominus noster Mar Michael Patriarcha coenobium Mar Hanania* (16), *scripsimus ut memoria Religiosi* ⟨i. e. *Episcopi*⟩ *conservetur in Ecclesia pro ipsius labore, et ut qui sumit atque aptat haec quae dixit tempore convenienti prosit. Illi autem qui idonei sunt et quibus gratia dat, pro modo, persona, loco et tempore, magis congruit ut ordinent sermonem de similibus, – et sat est prudentibus.* f. 84v

(16) Addit cod. *Borg.* f. 84r, l. 2-3 « *quod est prope civitatem Mardin, et cognominatur monasterium Za'apharan* ».

XXVI

EXPOSITIO CAEREMONIARUM ORDINATIONUM (1)

Item scribimus expositionem mysticorum ⟨i. e. *caeremoniarum*⟩, *quae sunt in chirotoniis.*

I. – **Communia** itaque omnium chirotoniarum sunt decem. Primum : Accessus, qui fit ante mysteria divina, sine quibus non perficitur ⟨*seu* non fit ordinatio⟩. Secundum : Genuflexio. Tertium : Praedicatio : ⟨*seu* proclamatio⟩. Quartum : Obumbratio ⟨*vel* incubatio⟩ duabus manibus. Quintum : Impositio manus dexterae super caput. Sextum : Obumbratio, quae fit manu sinistra. Septimum : Obsignatio crucis. Octavum : Vestitio operimenti. Nonum : Elevatio a gradu in gradum. Decimum : Communio sacrorum mysteriorum.

Accessus itaque significat, quod totalitate intellegentiae accedunt ad ipsum Deum totaliter tamquam consecratio quaedam et sanctio, quae non fit in parte quadam et in parte non ; et sub iuga divina et leges ordinatur, prout coram Iesu Deo significant, quod, quantum possunt, faciunt ipsam suam totalitatem, quae digna sit eo et quae referat similitudinem eius ; veluti sanctissimum est illud quod est altare, in quo sacrificantur victimae ; et fit, sicut fuit ipse, sacrificium pro nobis. Praeterea docet eos : « Omnia opera ergo quae a vobis fiunt, ita considerate ; et ego sum director vester ad unumquodque eorum ; sed cavete, ne actiones vestrae sint malae ».

---

(1) In *catalogo Bibl. Vat.* II, p. 320 ad num. 27 supponitur hanc mysticam chirotoniae explicationem tribuendam esse Moysi bar-Cephae, qui infra et mysticam tonsurae monasticae expositionem composuit. Cf. supra p. 7, n. 27.

De flexione genuum (2). Gratia Domini nostri Iesu Christi, quam proclamat ille qui praedicat, hoc denotat Pontificem, perficientem ordinandos, significare : « Electio perficiendi minime est ex me, sed a Deo, a quo concessum est mihi ut tribuam virtutem » ; quemadmodum in oblatione sacrificiorum dicit : Tu dixisti, accipe, et fac *etc.*

De obumbratione. Obumbratio autem quae ⟨fit⟩ ambabus manibus suis, cum tribus vicibus sursum | expandit eas, et sursum respicit ; in similitudine Iesu, ⟨qui⟩, cum assumptus est ad Patrem suum, expandit manus suas super discipulos suos, et benedixit eis et consecravit ⟨*seu* sacerdotes constituit⟩ eos. — Illud quod tribus vicibus ⟨fiat⟩, in symbolum Trinitatis Sanctae, ⟨quae est⟩ unus Deus, Dator et Consummator ac Largitor omnium bonorum. Et illud quod respicit sursum, perinde ac ⟨respiciunt⟩ ad Patrem luminum Filius et Spiritus tamquam ⟨habentes⟩ ex causa sua ; et ⟨respicit ad⟩ Patrem etiam omnium Sanctorum, a quo omne donum bonum et omne charisma perfectum descendit, secundum verbum Iacobi Apostoli (I, 17), et secundum promissionem Domini nostri ad discipulos suos, quando eduxit eos in Bethaniam, et elevavit manus suas et benedixit eis dicens : « Ego mittam vobis promissionem Patris mei, vos autem manete Hierosolymae, quoadusque induamini virtute ex alto » (*Luc.* XXIV, 49).

f. 85r

De impositione manus. Impositio autem Principis dexterae denotat protectionem et custodiam Principis perfectionis ⟨*seu* ordinationis⟩, Iesu, super illos, quos protegit a nocumentis et custodit tamquam filios, conferens conscientiam et virtutem perfectam unicuique ex consecratis secundum ordinem suum.

De obumbratione manus sinistrae. Quod vero manus sinistra obumbret, demonstrat quod omnes virtutes contrarias per hoc abigit ab eis.

(2) Sequens explicatio refertur ad « proclamationem ». Unde videtur amanuensis omisisse « genuflexionis » expositionem.

De consignatione crucis. Crux mortalitatem significat ; et obsignans eos cruce demonstrat, quod iamdiu mortui sunt mundo, et effecti remoti ab omnibus passionibus sordidis, vivunt vero vita Iesu Dei, in quo vivimus et sumus.

De vestitione, et proclamatione quod promoti sunt in Ecclesia. Vestitio significat gloriam datam a Spiritu Sancto. Proclamatio, qua proclamat : « Promotus est », et non : « Promovi », ostendit Dei esse talem operationem, et ipsum servum ministrantem.

Dans pacem ⟨*seu* osculum⟩ significat, quod elevati sunt ad alttudinem suam. Complectitur itaque illos princeps sacerdotum et clerici, et illi ipsos, quasi gaudentes in bonis alterutrius sine invidia.

De sumptione Mysteriorum ⟨*seu* Eucharistiae⟩. Ostendit per hoc quod unicuique pro elevatione sui communicatur gratia Mysteriorum.

Et haec quidem de communibus.

II. Dicamus vero de propriis uniuscuiusque.

Mystica ⟨*seu* caeremoniae⟩ quae ⟨fiunt⟩ in chirotonia Episcoporum. Primum : Confessio ⟨ὁμολογία⟩, quam scribit, legit et praedicat. Secundum : Quod non promovetur ⟨*seu* consecratur⟩ sine tribus aut duobus Episcopis, secundum canonem. Tertium : Quod Episcopi ministrant in eius consecratione. | Quartum : Evangelium quod super caput eius legitur et aperitur. Quintum : Ordo quem induit. Sextum : Proclamatio alia. Septimum : Lectio alia Evangelii, quod testatur ipsum pastorem esse bonum. Octavum : Baculus ⟨*murnito*⟩ quem accipit. f. 85v

Et primo quidem confessio ⟨ὁμολογία⟩ testimonium est, quod ipse de se perhibet coetui, servaturum se definitiones et canones Apostolorum sanctorum, uti debet perficere pastor verus animarum. Et illud, quod voce praedicat confessionem suam, ut ostendat et confirmet, quod pastoribus reliquis similibus confessionem edit. Et

illud rursus, quod commemorat Patres nominatim, uti ostendat omnibus ovibus rationalibus Christi, quod doctrinis horum Patrum a Spiritu Sancto inspiratis paratus sit ad nutriendos eos, tamquam pratis bonis. Et illud rursus, quod commemorat aliqua nomina haereticorum, eosque anathematizat, ostendit zelum suum divinum et propositum pugnandi cum lupis. Et eo quod promittit coram Deo et angelis eius, et coram religiosis ⟨Episcopis⟩ sociis suis, et coram tota Ecclesia, ut declaretur quod coram Deo promittit, se futurum prout ei placet; et coram religiosis ⟨Episcopis⟩, quo certi sint de veritate fidei eius, et hilares sint in impositione manuum super eum; et coram populo ac clero, tamquam qui et ipsi communicant voluntarie consecrationi eius. Et hoc quod coram Mysteriis sanctis (*i. e.* Eucharistia⟩ legit scripturam suam, ut cognoscatur quod Sacrificio vivo institutus sit, ac paratus ut cum ipso ultro immoletur, et cum ipso sepeliatur, et cum ipso resurgat.

⟨Episcopi consecrantes duo aut tres⟩. Et illud rursus, quod non unus Episcopus promovet ⟨*seu* consecrat⟩ Episcopum, sed duo aut tres aut plures, quemadmodum et ipsi quoque Apostoli beati faciebant, uti in libro Actuum ipsorum scriptum est (3), et quemadmodum Dominus noster docuit, eo quod dixit: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, omne quod petierint erit » (4). Propterea Episcopi qui eum promoturi ⟨*seu* consecraturi⟩ sunt, ministrant in servitio ⟨liturgico⟩, ostendentes consensionem voluntatis suae erga ipsum, et quod socius eorum est.

De impositione manuum. Licet una sit virtus mysterii, tamen divisiones donorum sunt, ut docuit Apostolus magnus Paulus (5). Itaque sublimius est charisma impositionis manus super Episcopos, quam super

(3) Cf. *Act. Ap.* XIII, 1-3 (*imponentes eis manus*).
(4) Cf. *Matth.* XVIII, 19-20.
(5) Cf. I *Cor.* XII, 4.

presbyteros; et illud super presbyteros excelsius est quam super diaconos.

Et eo quod legatur Evangelium super eum quod dicit: « Beatus es Simon Bariona » (*Matth.* XVI, 17), ut quemadmodum Simon confessus est ipsum esse Christum Filium Dei, ita per homologiam confessus est etiam hic Pastor verus.

Et illud, quod circumgestant Episcopi | librum evan- f. 86r
geliorum super caput eius tempore obumbrationis, veluti Iesus, qui expandit manus suas tempore ascensionis suae et benedixit discipulis suis, ipse est qui expanditur super caput eius per manus Episcoporum sociorum eius.

Et illud quod vestibus praeclaris albis aliisque refulget in perfectione consecrationis suae, veluti qui fuit perfectus pulchritudine puritatis animae, et imitatur, prout possibile est, Christum suscitatum ex sepulcro; uti dixit Paulus: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (I *Cor.* XI, 1). Et rursus quia sic apparebit in gloria cum Iesu Deo, quemadmodum ipse etiam Paulus ⟨dicit⟩: « Et nos quoque apparebimus cum ipso » (6). Itaque et ille qui promovet ⟨*seu* ordinator⟩ vestimenta alba et pretiosa, quantum fieri potest, induit, cum sit in loco Christi.

Et illud quod enthronizant eum, et collocant eum in sede apostolica, ac circumgestant eum ter clamantes: Ἄξιος, id est: Dignus et iustus ⟨est⟩, testimonium est, ab illis perhibitum, eum dignum esse vocatione et honore principatus sacerdotii, quia confessus est confessionem veram.

Super presbyterum autem fit impositio manus, iuxta illud quod insufflavit Dominus Noster in discipulos suos post resurrectionem, dicens eis: « Exite, docete et baptizate omnes populos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » (*Matth.* XXVIII, 19). Itaque illuminator

(6) *Col.* III, 4.

dicitur presbyter atque est, quia luce trium Personarum sanctarum illuminat in baptismo illos, qui ex tenebris ignorantiae veniunt ad baptismum, scilicet illuminationem divinam.

De diacono demonstrat impositio manuum super Mysteria, iuxta potestatem quam dedit initio Dominus Noster discipulis suis dicens : « Infirmos curate, leprosos mundate, daemones eicite » (*Matth.* X, 8) ; et haec, spiritualiter intellecta, passiones sunt malae omnium specierum peccati ; et propterea mundator dicitur atque est diaconus.

Explicit dilucidatio mysticorum ‹seu *caeremoniarum*›, *etsi compendio quodam et ex parte, sufficienter tamen, ut memoriale sit prudentibus, et iis qui cum fide et caritate contemplantur mysteria sancta.*

APPENDIX

COLLATIO CODICUM SYRIACORUM

Vat. 51 et Borg. 57

(*Prosequitur 2°*)

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 43r l. 11	ܢܘܗܪܐ	ܢܘܗܪܐ
l. 14	ܦܘܡ	—
f. 43v l. 5	ܘܡܫܠܡܝܢ	ܠܐ ܡܫܠܡܝܢ
»	ܒ ܟܠܗ	ܚܕ ܟܠܗ
l. 7	ܡܗܘܡܢܝܢ	ܡܗܘܡܢܝܢ
l. 8 ab imo	ܕܗܘ ܠܐ	ܗܘ ܕܠܐ
f. 44v l. 7	ܕܒܪܘܟ —	ܒܪܘܟ ܕܗܘܐ (*Ezech.* III, 17)
l. 9	ܐܠܚܝ	ܐܠܚܝ
l. 12	ܠܥܠܡܐ	ܕܠܥܠܡܐ
f. 45r l. 4 ab imo	ܕܢܐܡܪ	ܕܢܐܡܪ ܗܘ
l. 3 »	ܘܡܪܝܟ	ܘܡܪܝܟ (mendo)
(corr. marg. ܘܦܪܝܟ)		
l. ult.	ܕܗܘܐ	ܗܘ ܕܗܘܐ
f. 45v l. 13. 30 (et alibi)	ܦܘܠܠܘܣ	ܦܐܘܠܘܣ (et alibi)
l. 7 ab imo	ܘܠܐ ܠܡܫܐܠ	ܐܘ ܠܡܫܐܠ
l. ult.	ܘܐܚܝܕ	ܕܐܚܝܕ
f. 46r l. 2	ܘܡܫܐܠܬܗ	ܘܡܫܐܠܬܗ
l. 3	ܠܠܟܗ	ܠܠܟܝ
l. 7	ܐܝܕܗܦܘ	ܐܝܕܗܦ
f. 46v l. 17	ܘܕܠܐ	ܕܠܐ
l. ult.	ܕܐܡܪܘ	ܕܐܡܪ
f. 47r l. 1	ܐܝܟ	ܐܝܟ
l. 2	ܐܘܟܝܬܘܣ	ܐܘܟܝܬܘܣ
l. 9	ܘܡܬܟܢܫܝܢ	ܘܡܬܟܢܫܝܢ ܐܝܟܘ
l. 12	ܗܘ	ܗܘܘ
l. 16	ܠܝܣܝܦܘܪ	ܠܝܣܝܦܘܪܘܣ
l. 11 ab imo (et alibi)	ܗܘܪܝܘܣ	ܗܘܪܝܘܣ
l. 7 »	(1a litt. rasa)	ܝܟܘܣ
l. 4 »	ܐܡܟܠܝܘܣ	ܐܡܟܠܝܘܣ
» » (et alibi)	ܦܝܪܘܣ	ܦܐܝܪܘܣ
» »	ܐܠܟܣܢܕܪܘܣ	ܐܠܟܣܢܕܪܘܣ

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 47r l. 3 ab imo (et alibi)	ܦܪܝܣܒܘܛܘܣ	ܦܪܝܣܒܘܛܘܣ
l. 2 »	ܐܬܐܠܝܛܘܣ	ܐܬܠܝܛܘܣ
» »	ܟܐܛܟܘܣ	ܟܐܛܟܟܘܣ
l. ult.	ܕܐܬܐܡܪܘ	ܕܐܬܐܡܪܗ
f. 47v l. 2 (et alibi)	ܦܘܠܝܛܝܩ″	ܦܘܠܝܛܝܩ″
l. 3	ܠܐܘܦܠܛܘܣ	ܠܐܘܦܠܠܛܘܣ
l. 4	ܡܬܠܝܢ	ܡܬܠܐ
l. 8	ܡܛܠܘܪܘܣ	ܡܛܠܘܪܘܣ
	ܠܘܡܛܠܣ	ܠܘܡܛܐܣ
l. 9	ܡܐܟܘܢ	ܡܟܘܢ
l. 11 Lacuna ante	ܐܦܪܝܡ	ܘܟܝܢܐ ܦܐܝܪܝ″ ܕܐܝܠܝܘܟܝܢܐ ܠܐܘܪܘܐܘܪ ܦܐܝܪܝ″ ܕܐܝܠܝܘܟܝܢܐ
l. 16 Lacuna post	ܟܡܝܒܘܬܐ	ܘܐܝ ܟܡܟܬܝܒܘܬܐ ܘܐܝ ܟܡܝܟܐ
l. 11 ab imo	ܐܦ	ܘܐܦ
l. paenultima	ܒܪܟܘܪ	ܒܪܟܘܪ
f. 48r l. 1	ܐܘܟܝܠܝܘܣ	ܐܘܟܝܠܝܘܣ
»	ܐܘܡܝܠܘܣ	(corr.) ܐܘܢܝܠܘܣ
l. 2 (lacuna)	ܐܦܟܝܠܐܪܝܘܣ	+ ܘܐܪܝܘܣ
»	ܐܘܕܘܟܝܣܘܣ	ܐܘܕܘܕܘܟܝܣܘܣ
»	ܐܢܕܪܐ	ܐܢܕܪܐ
l. 3	ܢܝܩܘܡܕܝܐ	ܢܝܩܘܡܕܝܐ
l. 4	ܠܐܘܕܘܪܘܣ	ܠܐܘܕܘܪܘܣ
l. 7	ܛܐܩܣܐ	ܛܩܣܐܐ
l. 13	Lacuna	(Partim evanuit) ܡܫܪܝܢ ܐܢܘܢ
l. 16	ܐܢܘܢ	ܐܢܘܢ ܛܘܒ
l. 3 ab imo	ܟܪܐܡܛܝܐ	ܟܪܡܛܝܐ
f. 48v l. 7	ܐܝܟ ܕܝܢ	ܐܝܟ ܕܝܢ ܗܘ
f. 49r l. 9	ܡܬܝܘܡ	ܡܬܝܘܡ
l. 10	ܐܡܬܐ	ܐܡܬܐ
l. 14	ܘܠܐ ... ܘܠܐ	ܠܐ ... ܠܐ
f. 49v l. 2	ܡܕܒܪܐ ܕܝܠܗ	ܡܕܒܪܗ
l. 7	ܟܬܘܒܬܗܘܢ	ܟܬܘܒܬܗܘܢ
l. 16	ܕܐܬܝܢܝ	ܘܐܬܝܢܝ
l. ult.	ܗܘ	ܐܦ ܗܘ
f. 50r l. 16	ܕܟܢܫܐ	ܟܢܫܐ
f. 50v l. 1	ܡܬܗܘܢܝܢ	(mendo) ܡܬܗܘܢܝܢ
l. 15	ܟܕ ܩܐܡ	ܘܟܕ ܩܐܡ
f. 51r l. 10 ab imo	ܘܐܣܬܛܝܬܐ	ܘܐܣܬܛܝܬܐ
f. 51v l. 6 (et alibi)	ܦܐܪܪܗܣܝܐ	ܦܐܪܪܗܣܝܐ
l. 11	ܘܗܘܟܢܐ	ܘܗܘܢܐ
		— ܣܟܡ(
f. 52r l. 4	ܢܣܟܡ	ܢܣܒܡ(

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 52v l. 3	ܦܘܩܕܢܝ	ܦܘܩܕܢܗ
l. 5	ܐܦܘܕܝܐܩܘܢ	ܐܘܦܘܕܝܐܩܘܢ
l. 9 ab imo	ܛܝܡܬܐܘܣ	ܛܝܡܘܬܐܘܣ
l. 6 ab imo (*I Tim.* III, 4)	ܘܡܕܒܪ ܒܝܬܗ ܟܠܗ	ܘܡܕܒܪ ܫܦܝܪ ܒܝܬܗ ܟܠܗ
f. 53r l. 2	ܛܟܣܝܗܘܢ	ܘܛܟ″
l. 5	ܗܘܦܘܕܝܐܩܘܢ	ܗܘܦܘܕܝܐܩܘܢ
l. 6	ܡܕܒܪܢܘܬܐ	ܡܕܒܪܢܘܬܐ
l. 12. 16 (et alibi)	ܡܫܡܫܝܢ	ܡܫܡܫܝܢ
l. 13	ܦܪܘܫܘܗܝ	ܦܪܘܫܘܫܘܗܝ
l. 21	ܠܐܘܪܢܘܣ	ܠܐܘܪܢܘܣ
f. 53v l. 6	ܛܝܒܘܬܐ ܕܡܪܢ	ܛܝܒܘܬܗ
»	ܒܡܪܢ ܫܝܢܐ	ܒܫܝܢܐ
l. 10	ܡܕܒܪܐ ܕܝܠܗ	ܡܕܒܪܗ
l. 11 [Expunctum ܕܪܘܚܐ]	ܠܐܠܗܐ	ܠܐܠܗܐ ܕܐܬܐ
l. ult.	ܡܕܒܪܐ	ܡܕܒܪܐ
f. 54r l. 14	ܡܫܪܪ	ܘܡܫܪܪ
l. 6 ab imo	ܗܘܝܢ	ܗܘܝܢ
l. 4 ab imo	ܡܟܢ	+ ܛܘܒܐ ܗܘ
l. 3 ab imo	ܐܝܟ ܕܥܘܗܕܢܐ	ܐܝܟ ܥܘܗܕܢܐ
f. 54v l. 7	ܘܐܬܚܫܒܢ	(Peš. Maussil.) ܘܡܚܫܒܢ
l. 10	ܘܐܬܪܐ	» » ܘܐܬܪܐ
»	ܟܢܫܐ	» » ܟܢܫܐ
l. 12	ܠܡܫܡܫܘܬܢ	» » ܠܡܫܡܫܘܬܢ
l. 14	ܢܛܪܘܬܢ	ܢܛܪܘܬܢ
		(Peš. Maussil. melius: ܢܛܪܘܬܢ)
l. 5 ab imo	ܒܟܬܒܝܗ ܗܟܝܠ ܐܘ	om.
»	ܘܫܒܘܗܝ	ܘܫܒܘܗܝ
l. 3 »	ܘܡܠܝܘܗܝ	ܘܡܠܝܘܗܝ
f. 55r l. 11	ܘܗܘܢ	ܘܗܘܢ ܠܗ
»	ܒ	ܘܒ
l. 13	ܛܝܒܘܬܐ ܗܝ	ܗܝ ܛܝܒܘܬܐ
»	ܠܗ ܟܠܢ	ܠܢܦܫܬܐ ܫܦܝܪܬܐ ܕܐܢܫ
l. 14	ܕܒܪܘܛܘܬܗ	ܕܒܪܘܛܘܬܐ
l. 16	ܐܦܣ″	ܘܐܦܣ″
l. 21 (Peš. Maus.)	ܬܐܦܐ	ܬܐܦܐ
f. 55v l. 3	ܐܦܣ″	+ ܠܟܘܢ ܐܘܪ
l. 5	ܡܢ	ܡܠܐ
l. 20	ܗܘ	ܗܘ
l. 21	ܐܦܘܕܝܐܩܘܢ	ܐܦܘܕܝܩܘܢ
l. 6 ab imo	ܫܠܡ	ܫܠܡ ܘܐܦ
l. 5 »	ܐܦܘܕܝܐܩܘܢܘܬܐ	ܐܘܦܘܕܝܐܩܘܢܘܬܐ

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 55ᵛ l. 3	ܠܡܫܝܚܘܬܐ	ܠܡܫܝܚܘܬܟ
l. ult.	ܟܠܗ	(mendo) ܐܝܟ
f. 56ʳ l. 5	ܦܪܘܩܢ	ܦܪܘܩܘܢ
l. 6	ܟܢܘܫܢ	ܟܢܘܫܘܢ
l. 9	ܠܡܣܝܘܪ	ܠܡܣܝܘܪܘ
l. 13	ܪܘܚܐ ܕܝܠܟ	ܪܘܚܟ
»	ܩܕܝܫ	ܩܕܝܫ ܟܠ
l. 16	ܘܩܡ	ܕܝ ܩܡ
l. 6 ab imo (et alibi)	ܐܦܝܣܩܘܦܬܐ	ܐܦܝܣܩܘܦܘܬܐ
l. 3 »	ܠܘܬ	ܘܠܘܬ
l. 2 »	ܐܠܗܐ	—
f. 56ᵛ l. 16	ܘܩܪܐ	ܩܪܐ
l. 6 ab imo	ܗܘܐ	ܘܗܘܐ

f. 56ᵛ l. 6 ab imo usque ad f. 57ʳ l. 11 (*Vat.* f. 69) plura in cod. *Borg.* suppleta iuxta notas marginales codicis *Vat.*, et communem ritum Ordinum. Cf. versionem latinam.

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 57ʳ l. 11	ܦܫ ܩܕܡ″ ܡܘܬ	ܡܘܬ ܦܫ ܩܕܡ″
»	ܟܫܡܥܐ	ܟܫ̈ܡܥܐ
l. 15	ܫܠܝܛ	ܘܫܠܝܛ
l. 10 ab imo	ܠܡܪܢܘܬܟ	ܠܡܪܢܘܬܐ ܕܝܠܟ
l. 5 »	ܐܦܝܛܪܘܦܘܣ	ܐܦܝܛܪܘܦܘܣ
l. 3 » (melius)	ܘܐܦ	ܐܦ
f. 57ᵛ l. 8	ܒܗ	(Recenti manu, mendose) ܒܗܘܢ
l. 9	ܗܘ″ ܡܥܒܕ	(Item, in plur. mendo)
l. 15	ܟܠܢ	ܟ̈ܠܢ

f. 57ʳ l. 10-7 ab imo *Borg.* complet textum codicis *Vat.* (f. 70ʳ l. 4-7) iuxta eiusdem recentes notas marginales et communem Ordinum ritum.

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 57ᵛ l. 3 ab imo	ܘܗܘܦܟܐ	ܗܘܦܟܐ
l. 2 »	ܡܫܡܠܐ	ܡܫ̈ܡܠܐ
f. 58ʳ l. 5	ܠܡܘܟܟܐ ܕܫ̈ܦܠܐ ܘܕܚ″	(Peš.) ܠܡܘܟܟܘ ܢܦ̈ܫܬܐ
»	ܘܠܡܥܒܕܗ	ܕܠܡܥܒܕܗ

l. 13-15 [.. ܗܡܝܡ] ..... ܗܡܝܡ: Additum iuxta marginales notas cod. *Vaticani*.

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
l. 11 ab imo	ܡܢ ܟܠ	ܡܢ ܟܠܗ
l. 10 »	ܒܘܟ̈ܢ	ܒܘܟܢ
l. 9 »	ܕܪܘܚܐ ܕܝܠܟ	ܕܪܘܚܟ
f. 58ᵛ l. 1	ܗܘܐ	ܘܗܘܐ
	Suppletur ܟܠܗ ܐܝܟ	—
l. 2	ܕܝܠܟ	—
»	ܡܟܪܙܘ ܐܡܪܝܢ	ܘܡܟܪܙܘ ܐܡܪ
l. 2-9	Cathisma	Legitur in folio distincto recenter scripto f. 71.
l. 6	ܕܪܘܚܐ ܦܪܩ″	ܪܘܚܐ ܗܘ ܦܪܩ″

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 58ᵛ l. 11	ܒܪܬܐܬܐ	ܒܐܪܬܐܬܐ
l. 14-18. Confer versionem.		ܗܢܘܢ ܕܡܢ ܠܒܪ (*Vat.* f. 72ᵛ l. 3-8) ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܒܓܘܗ ܕܩܕܡ ܦܘܡ ܡܩܡ ܟܠ ܡܕܡ ܡܢ ܘܟܗܢܐ ܕܡܪܝܐ ܡܢ ܕܕܘܟܬܐ ܦܘܠܚܢܐ ✣ ܟܡܝܢܘܬܗ ܕܗܟܢ ܕܡܪܟܐ. ܠܝܘܬܐ ܗܘܝܐ ܟܠ ܕܐܬܐ ܟܠܗܘܢ ܠܡܟܬܐ ܘܫܠܝܚܘܬܐ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ. ܘܢܟܪ ܘܐܡܪ ܠܡܫܠܡܘ ܡܘܪܟܢܘܬܗ ✣
l. 19	ܡܘܪܟܟܢܘܬܗ	ܡܘܪܟܢܘܬܗ
l. 20. Confer vers.	ܐܬܐ ܡܟܘ	Infra ante ܡܫܠܡ (rec. corr. f. 72ʳ a l. 13 ad l. 10).
l. 6 ab imo	ܗܘܐ	ܘܗܘܐ
f. 59ʳ l. 4 (in marg.)	ܦܪܘܫܐ ܕܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ	In marg. inf., manu recenti rudi.
f. 6 (corr.)	ܕܡܢܗ (2º)	ܕܡܢܗ
l. 9	ܐܦܝܛܪܘܦܘܣ	ܐܦܝܛܪܘܦܘܣ
l. 2 ab imo usque ad f. 59ᵛ l. 5 iuxta notam marginalem cod. *Vat.*		ܡܫܠܡ (Textus primit. f. 73ᵛ l. 2-4) ܕܐܠܗܐ ܕܒܪܐ ܒܪܚܡܐ ܘܦܠܚܢܐ ܐܝܟ ܕܐܢܬ ܐܠܗܢ ܘܟܘ ܦܐܐ...
f. 59ᵛ l. 7	ܐܬܦܪܣ	ܐܬܬܦܪܣ
l. 8-9 (ex nota recenti cod. *Vat.* ܕܟܠܗ		ܠܟܗܢܘܬܐ (Textus prim. f. 73ʳ l. 7-8) ܡܢ ܕܒܐܬܐ ܡܢ ܕܕܘܟܬܐ ܦܘܠܚܢܐ ܘܦܫܡ ܟܠ ܟܢܫܐ ܟܢܫܘܗܝ
l. 12-13. Lacuna post ult. ܐܝܟ		
f. 60ʳ l. 6 ab imo	ܘܟܠܟܠܗܝ	ܘܟܠܟܠܗܝܢ
f. 60ᵛ l. 1	ܕܡܫܬܠܡܘܬܐ	ܘܡܫܬܠܡܘܬܐ
l. 13 (et alibi)	ܬ̈ܐܪܐ	ܬ̈ܐܪܐ
l. 14 (medium *vav* rasum)	ܠܡܬܬ ܢܝܚܘܬܐ	ܠܡܬܬܘܢܝܚܘܬܐ
l. 19	ܟܡܬܐܡ	ܒܐܩ̈ܬܐܡ
l. 5 ab imo (mendo)	ܟܢܘܫܬܐ	ܟܢܘܫܬܐ
» »	ܐܘܪܫܠܡ	ܐܘܪܫܠܡ
l. 2 »	ܡܬܟܬܒܘܬܐ ܕܐܦ″	ܡܬܟܬܒܘܬ ܐܦ″
f. 61ʳ l. 1	ܡܘܐܕܐ	ܡܘܘܐܕܐ
l. 11	ܡܬܟܢܘܬܐ	(Corr. in marg. ut *Borg.*) ܙܟ̈ܘܬܐ
l. 18-19	ܘܐܢܬ ܕܚܫܐ	—

f. 61ᵛ l. 3 tota iuxta marg. notam recentem *Vat.* f. 75ᵛ.

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
l. 4	ܠܘܬ	ܘ
l. 9	ܡ̄ܢ	ܩܕܝܫ ܟܠ
l. 21	Lacuna post ܐܬܐ	ܟܡ ܣܠܐ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܟܘܠܐ ܕܗܘܦܟܐ ܦܪܝܟ ܘܟܢܫܟܐ...
l. 23	ܗܘ ܕܦܪܣ	Lacuna recenti manu suppl. in marg.

	Borg. syr. 57	Vat. syr. 51
f. 61ᵛ l. 6 ab imo ad l. 2. Inde a ܘܫܠܡܐ textus desumptus e nota marg. rec. cod. *Vat.*		ܘܚܒܠܐ ܩܕ ܕܕܘܟܬܐ (Textus origin.) ܦܠܚܐ ܟܗܢܘܬܐ ܕܥܠܡ ܕܡܪܝܐ. ܢܐܠ ܗܟܢܐ ܟܠܡ ܕܐܬܐ ܠܟܗܢܐ ܐܡܟܘܬܐ ܕܪܘܚܐ ܩܕ ܘܢܚܠ ܘܐܡܪ ܗܦܟܚܫܘܢ
l. ult.	ܗܘܐ	—
f. 62ʳ l. 2-4	ܐܡ ܡܢ ܕܐ... ܦܪܘܩܢ	Iuxta not. marg. rec. cod. *Vat.*
l. 13	ܘܚܠܡ	ܗܘܐ
l. 17	ܗܘ ܦܬܐ	Post illa lacuna.
l. 10 ab imo	ܚܝܠܐ	ܚܝܠܐ
f. 62ᵛ l. 13-17. Iuxta recentem notam marg. cod. *Vat.* 77ʳ. Cf. versionem.		
l. 19	ܗܘܐ	ܘܗܘܐ
»	ܒܗܘ	ܒܐܬ ܗܘ
l. 8 ab imo	ܘܐܬ	ܘܐܬܐ
Nota marginalis male exscripta.		ܗܢܘܢ ܐܢܫܐ ܡܬܟܗܢܐ ܥܠ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܟܗܢܘܬܐ ܕܗܘܬ ܠܗܘܢ ܕܡܟܠܐ ܠܗܘܢ ܠܟܗܢܐ ܡܠܘܢ ܠܡܩܕܫܬܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ܆ ܣܠܩܬ ܕܟܬܒܐ ܠܗ ܡܫܠܡܢܘܬܐ ܕܡܠܘܢ ܩܢܘܢܐ ܕܥܕܬܐ ܦܘܫ ܠܡ ܘܡܫܡܫܝܢ
l. 2 ab imo	ܡܬܟܗܢܝܢ	ܘܡܬܟܗܢܝܢ
f. 63ʳ l. 4	ܕܢܬܒܠܘܢ	ܕܢܬܒܠܘܢ
l. 6	ܡܩܪ	ܘܡܩܪ
l. 16	ܘܟܪܘ	ܘܟܪܘ ܡܢ ܪܘ
»	ܘܡܣܒܐ	ܡܣܒܐ
l. 3 ab imo	ܐܘܟܠܘܣܐ	ܐܘܟܠܘܣܐ
f. 63ᵛ initio	—	(Recens nota) ܢܦܩ ܠܟܘܪܝ ܘܡܫܡܫ"
l. 5	ܐܢܘܢ ܒܟܠܗܘܢ	ܒܗܘܢ ܟܠܗܘܢ
f. 64ʳ l. 6 partim vacua.		Nonnulla verba legi nequeunt, f. 79ʳ l. 13.
l. 10	ܘܒܚܝܠܐ ܪܒܐ	—
l. 11	ܘܡܪܐ	(mendo) ܘܡܟܣ
l. 12	ܟܠܐ	(mendo) ܟܠܡ
»	ܘܡܪܟܐ	—
l. 15	ܒܗܘ	ܗܘ
f. 64ᵛ l. 1	ܘܐܡܪ	ܘܐܡܪ
l. 5 post «Stephanum» lacuna.		ܒܟܢܐ ܕܗܠܐ ܗܘܐ ܕܗܘܝܐ ܕܡܫܒܚܐ ܘܠܐܬܠܡܝܕܘܬܐ
l. 9	ܒܗܘܢܘܢ	ܒܗܘܢ
l. 22	ܩܕ	(Complet) ܦܢܝܐ ܗܘܐ
f. 65ʳ l. 6	—	(Additum ab aman.) ܠܡܚܠܐ ܕܟܠܗ
l. 17 ab imo	ܠܟܠܐܪܝܣ	ܠܟܠܐܪܝܣ

	Borg. syr. 57	Vat. syr. 51
f. 65ʳ l. 15-14 ab imo	ܒܠܗܘܬܐ ܕܐܡܘܢܬܐ ܡܢܬܐ	ܒܠܗܘܬܐ ܕܡܢܬܐ ܕܐܡܘܢܬܐ
l. 7 »	ܗܘܡ	ܗܘܠܐ
l. 5 »	ܠܟܠܐܪܘܣ	ܠܟܠܠܘܣ
f. 65ᵛ l. 3 (mendo)	ܒܪܘܡ	ܒܢܘܡ
l. 6	ܕܐܫܬܐܫܠ	ܕܐܫܬܚܠܦ
l. 9	ܡܢ	ܡܢ ܠܐ
l. 7 ab imo	ܕܐܬܒܝܘܗܝ	ܕܐܬܒܝܘܗܝ
	—	(Complet) [ܦܘܫܐ] ܩܕ ܗܘܐ
l. ult.	ܘܟܗܢܘܬܐ	plur.
f. 66ʳ l. 4	ܡܠܡ	ܡܠܡ ܘܐܦ ܝܠܗܐ ܗܘܐ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ
l. 5	ܘܐܬ	—
l. 12	ܒܝܬܐ ܗܘܐ	ܒܝܬܐ ܗܘ
l. 14	ܡܫܡܫܢܘܬܐ	ܡܫܡܫܢܘܬܐ
l. 18	ܡܫܪܝ	ܢܫܪܝ
f. 66ᵛ l. 7	ܒܗܡܣܐ	ܒܗܡܣܬܐ
l. 10	ܘܐܬ	ܐܬܐ
l. 12	ܡܢ	ܡܢܐ
»	ܡܢܐ ܡܟܢ"	ܘܡܢܐ ܡܟܢ"
f. 67ʳ l. 4	ܘܢܛܪ	ܘܗܘܐ
l. 13	ܡܟܢ ܐܢܐ	ܡܟܢ
l. 15	ܡܟܝܢ	ܡܟܝܢܘܢ
»	ܠܐܦܪܘܣܘܢ	(Mendo) ܠܐܦܪܘܣܘܢ
l. 11 ab imo	ܒܟܠ	—
» » (inv.)	ܠܐܟܪ ܐܒܗܬܢ ܒܝܘܡܬܐ ܕܚܝܝܢ	ܒܝܘܡܬܐ ܕܚܝܝܢ ܠܐܟܪ ܐܒܗܬܢ
f. 67ᵛ l. 2	ܒܟܠܢܫ	ܒܟܢܫ
l. 10	ܗܘܝܡ	ܘܗܘܝܡ
l. 12	ܐܡܪܘ̄	ܢܘܐ ܐܡܪܘ̄
l. 13	ܘܩܐܡ	ܩܐܡ
l. 16	ܒܗܡܣܬܐ	plur.
l. 6 ab imo	ܡܠܟܐ	ܩܠܠܐ
l. 5 »	ܠܟܠܗܘܢ	ܘܗܘܐ
» »	ܝܗܒ ܗܘܐ	ܗܘܐ ܝܗܒ܆ ܟܠ ܐܢܫ ܕܢܩܠܐ ܟܠ ܣܓܝܐ ܕܗܢܘ. ܢܗܘܐ ܐܦ ܗܘ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ ܒܟܬܒܐ܆
l. 3 » (et alibi)	ܦܪܝܣܘܣ	ܦܐܪܝܣܘܣ
l. 2 » »	ܡܛܪܘܦܘ"	ܡܛܪܘܦܘ"
f. 68ʳ l. 1 (et alibi)	ܦܪܐܠܠ	ܦܪܐܠܠ
l. 4 »	ܕܦܢܛܩܘܣܛܐ	ܕܦܢܛܩܘܣܛܐ
In nota l. 6	ܘܡܘܕܐ	l. 2 vel 3 ܕܡܘܕܐ
l. 9	ܦܢܛܩܘܣܛܐ	ܦܢܛܩܘܣܛܐ

	Borg. syr. 57	Vat. syr. 51
f. 68r l. 17	ܡܢ	ܕܝܢ
l. 19	ܕܒܡܫܝܚ	ܕܒܡܫܝܚܐ
l. 4 ab imo	ܐܘ ܦܠܓ	ܡܢ ܦܠܓ
f. 68v l. 3	ܐܡܪܝܢ	ܐܡܪܝܢܢ
l. 6	ܡܢ ܕܝܢ	ܡܢ
l. 9	ܘܠܐܘܚܝܕܗ	ܘܠܐܘܚܝܕܬܐ
l. 23	ܦܩܕ	ܘܦܩܕ
l. 28	ܘܐܡܪܝܢ	ܐܡܪܝܢ
l. 6 ab imo	ܘܕܡܬ″ ... ܘܕܐܦ″	ܘܡܬ″ ... ܘܐܦ″
l. 4 »	ܡܕܝܢܬܐ	ܡܕܝܢܬܐ ܕܡܠܟܘ
l. 3 »	ܘܬܗܘܐ	ܕܬܗܘܐ
l. 2 »	ܕܐܡܝܢܐ	ܐܡܝܢܐ
l. ult. (complet)	ܗܘܐ ܘܡܫܡܫܝܢ	—
f. 69r l. 16 (complet)	ܡܫܡܫܗ ܒܪܘܚ ܘܡܫܒܚ	—
l. ult. / f. 69v initio	lacuna in *Vat.*	—
f. 69v l. 7	ܗܘܐ	ܘܗܘܐ
l. 8. 9	ܗ̄	ܗ̄ ܘܗ̄
l. 9	ܡܫܒܚܐ	Item; lege ܠܡܫܒܚܐ
f. 70r l. 5 ab imo	ܡܠܐ	ܟܠܐ
l. ult.	ܦܪܘܨܘܦܗ	ܦܪܘܣܘܦܘܗ
f. 70v l. 1	ܐܘܣܬܐܣ	ܐܘܣܬܐܘܣ
l. 12	ܡܐܐ	ܡܐܬܐ
l. 14	ܘܒܪܐ	ܕܒܪܐ
l. 10 ab imo	ܦܩܕܬ	ܦܩܕܬܐ
l. 7 »	ܡܫܝܚܝܢ	ܡܫܝܚܝܢ
f. 71r l. 12 (et alibi)	ܐܘܪܫܠܡ	ܐܘܐܪܫܠܡ
l. 9 ab imo	ܐܡܝܢܐܝܬ	ܐܡܝܢܐ
l. 7 »	ܗܘܐ	ܘܗܘܐ
l. 3 » (et alibi)	ܦܘܠܠܘܣ	ܦܐܘܠܘܣ
l. 2 » »	ܛܝܡܬܐܘܣ	ܛܝܡܬܐܐܘܣ
f. 71v l. 9 ab imo (Peš.)	ܘܐܬܘ	ܐܬܘ
f. 72r l. 13	ܘܐܡܪ	ܘܐܡܪܘ
l. 17	ܕܡܠܠ	ܕܡܠܠ ܗܘܐ (Peš.)
l. 9 ab imo	ܡܫܡܗ	ܠܡܫܡܗ (Peš.)
f. 72v l. 1	ܢܫܡܫ	ܢܫܡܫ ܗܘܐ
l. 14 (mendo)	ܐܠܐ ܐܢܬ	ܠܐ ܐܢܬ
l. 17	ܡܪܝܐ	ܡܪܝܐ ܗܘܐ
l. 19	ܕܬܦܠܘܣ	ܕܬܦܠܘܣ ܡܢܗ (Peš.)
l. 9 ab imo	ܐܬܠܘܣ	ܡܬܠܘܣ

	Borg. syr. 57	Vat. syr. 51
f. 73r l. 5	ܒܘܡܥܒܕܘܬܐ ܕܐܠܗ ܒܗ	Ita. — At Peš. (I *Tim.* IV, 4) ܒܬܘܕܝܬܐ ܕܐܠܗ ܒܗ
l. 2 (mendo)	ܘܡܫܘܪܐܝܬ	ܡܫܘܪ ܐܢܐ (Peš.)
l. 11 ab imo	ܘܡܫܘܪ	ܡܫܘܪ (Peš.)
l. 10 ab imo (lacuna)	ܕܐܫܘܪ	ܕܐܫܘܪ ܡܢ
l. 5 ab imo	ܘܡܢ	ܡܢ
l. ult.	ܘܐܡܪ	ܐܡܪ
f. 73v l. 3	ܠܦܪܘܣ	ܦܐܦܪܘܣ
l. 5	ܗܘ	ܘܗܘ
l. 9 (mendo)	ܗܢܐ ܗܘܐ	ܗܢܐ ܗܘ
l. 10	ܕܐܫܬܠܛܬ	ܕܐܫܬܠܛܬ
l. 9 ab imo (complet)	ܠܟܠ	—
l. 7 »	ܡܢ	ܡ̈ܢ (= ܡܢܟܠܗ)
l. 6 »	ܦܪܘܨܘܦܗ	ܦܪܘܨܘܦܗ ܗܘ
» »	ܚܝܠ	ܚܝܠ
l. 4 »	ܕܡܬܝܩܘܡ	ܘܕܡܬܝܩܘܡ
f. 74r l. 15	ܡܪܐܬܐ	ܡܪܬܐ
f. 74v l. 4	ܘܡܢ	ܡܢ
l. 13 (in fine)	—	+ ܘܗܘܐ (complet)
l. 15	ܡܠܟ	ܡܠܟ ܐܦ ܗܘ
l. 11 ab imo	ܠܐܬܚܬܢܐ	ܠܐܬܚܬܢ
l. 4 »	ܗܘܐ	ܘܗܘܐ
l. 3 »	ܟܠ	ܕܟܠ
f. 75r l. 12	ܗܢܘܢ	ܗܟܢ
l. 13	ܓܒܐ	ܘܗܘܐ
l. 14 (complet)	ܠܡܫܡܫܘ	—
l. 4 ab imo	ܟܘܗܢܐ	+ ܘܗܘܐ (complet)
f. 75v l. 7	ܕܡܬܬܩܪܝܢ	ܕܗܘ ܕܡܬ″
l. 9	ܫܐܡ	ܘܗܘܝܘ ܫܐܡ
l. 10	ܡ̈ܠܐ	ܡ̈ܠܐ ܗܘ
1a nota l. 3	ܦܘܢܛܝܩܘܣ	ܦܢܛܝܩܘܣ
2a nota l. 3	ܦܠܐ	[ܒ]ܠܐ (initio evanuit)
f. 76r l. 6	ܦܘܩܕܢܐ ܚܕ″	ܦܘܩܕܢܐ ܚܕ″
l. 9 (Lacuna)	—	ܡܢ ܗܘܝܘܢ. ܗܘ ܕܟܠܗܝ ܡܠܟܘܬ (ܡܢ ....)
l. 3 ab imo	ܠܡܐܟܠܐ	ܠܡܐܐ ܡܬܩܝܡ (? mendo) ܠܡ ܡܠܟܘܗܝ
1a nota l. 3 lacuna ante ܡܫܬܐ		

2a nota non est certa, cum evanuerit in cod. *Vat.* f. 96r.

	Borg. syr. 57	Vat. syr. 51
f. 77r l. 4	ܕܢܫܬܡܫܘܢ	ܕܢܫܬܡܫܘܢ
»	ܠܟܠ ܐܬܪܘܢ	ܠܟܠ ܠܟܠ ܐܬܪܘܢ
l. 6	ܡܥܒܕܐ	ܠܡܥܒܕܐ
l. 8	ܘܬܠ	ܘܬܠܘ

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 77r l. 18	ܒܣܦܝܬܐ	ܘܒܣܦ″
l. 8 ab imo (complet)	ܢܚܡܣ	—
»	ܘܟܗܢܘܬܐ	ܟܗܢܘܬܐ
l. 7 ab imo	ܣܟܡ	ܣܟܡ ܗܘ
f. 77v l. 2	ܒܟܝܢ ܗܘܐ	inv.
l. 5	ܡܝܬܐ	ܡܝܬܐ ܟܠܗ
l. 11	ܒ	ܘܒ
»	ܘܡܫܡ	ܡܫܡ

l. 15 Lacuna in codice *Borg.* post ܕܐܬܬܚܝܣ, ita complenda sec. *Vat.* f. 98v l. 5-10: ܘܐܬܪܥܝ ܐܡܪ ܟܠܗ ܘܡܬܝܕܥ. ܣܓܝܐ ܕܒܡܠܐ ܢܦܫ ܠܗ ܡܢܐ ܡܢ ܙܢܝܢ ܘܢܬܠܒ ܒܟܠܒܪܢܫ. ܘܟܠܡ ܠܟܘܪ ܗܘ ܗܘܐ ܐܦܝܣ ܘܟܠܗܘܢ ܡܟܝܢܘܗ܀ ܘܡܢ ܒܬܪ ܐܡܢܐ ܕܐܬܩܝܡ ܘܐܬܟܢܐ ܐܡܪ ܘܐܬܪܥܝ ܘܟܠܡ ܠܟܘܪ ܗܘܝܡ ܡܟܡܝܢ ܠܗ ܠܟܗܢܘܬܐ ܠܐܝܕܗ ܕܗܘ ܕܐܬܡܢܐ (ܠܟܘܪ ܗܟܝܢ ...)

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 77v. In nota l. 1	ܒܝܡ ܡܗܘܢܝܬܐ	ܒܝܡܐ ܕܡܗܘܢܝܬܐ
l. 2	ܘܟܠܘܪ (1o)	ܟܠܘܪ
l. 6	ܡܘܒ	ܡܘܒܗ
l. 15	ܘܟܠܘܪ	ܟܠܘܪ
l. 8 ab imo	ܕܐܬܒܟܟܢ	ܕܐܬܒܟܟܢ ܠܗ
l. 7 »	ܡܪܩ	ܡܪܩ ܐܢܬ
l. 2 »	ܕܕܝܡܠ	ܕܕܝܡܗ
f. 88r l. 5	ܘܡܫܝܚܐ	ܕܡܫܝܚܐ
l. 12	ܒܟܠܡ	—
l. 14	ܘܡܢܪܐ	—
l. 18	ܡܢ	ܡܢܐ
f. 78v l. 3	ܒܟܝܢ	ܒܟܝܢܐ ܕܢܟܝܢ
l. 9	ܕܐܬܒܟܟܢ	ܕܐܬܒܟܟܢ
l. 10	ܡܟܝܢ	—
l. 22	ܛܥܝܢܐ ܗܘܐ	(inv.)
»	ܢܘܪܐܢ	+ ܘܡܫܡܠܐܢ
l. 7 ab imo	ܕܐܦ	ܕܐܦ
l. 3 »	ܦܘܡܗ	Item, pro ܦܘܡܗ
f. 79r l. 6	ܘܟܠ	ܟܠ
l. 7	ܡܫܡܠܐܢ	ܡܫܡܠܐܢ
l. 15	ܡܒܣܡܐ ܡܢ ܘܡܫܒܚܐ ܐܠܗܘܬܗ	—
l. 12 ab imo	ܘܡܢܪܐ	—
l. 3 »	ܡܟܢܝ	ܕܡܟܢܝ
»	ܡܢܐ	—
f. 79v l. 2	ܒܢܘܗ	ܕܒܢܘܗ
l. 3	ܕܡܘ	ܡܘ
l. 10	ܛܟܐ	—
l. 12	ܢܚܡܕܐ	ܢܚܡܕܝ

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
f. 79v l. 7 ab imo	ܛܘܒܐ	ܛܘܒܘܗܝ
l. 3 »	ܡܢܝ	ܡܢܝ
f. 80r l. 9 et 20	ܗܘ ܗܘ	—
l. 8 ab imo	ܒܟܝܐ	ܒܟܝܐ
l. 4 »	ܘܡܬܬܢ	Incertum; madore evanuit (?) ܘܬܗܘܐ
l. 3 »	ܕܬܬܦܚܘܢ	» » (?) ܕܬܗܦܟܘܢ
l. 1 »	ܒܝܬܐ	ܒܝܬܗ
f. 80v l. 3-4	ܠܗܘܢ ܡܟ″	ܘܡܟܠܢܝܫ
l. 8 (complet)	ܒܟܡ	—
l. 9	ܐܢܘܪ	ܢܘܪ
l. 3 ab imo	ܐܢܝܬܐ	+ ܒܟܝܢ
f. 81r l. 1	ܕܡܢ	ܕܒܟܡ
l. 2	ܡܟܝܢ	ܘܡܟܝܢ
l. 3	ܐܘܒܡܘܗ	ܐܒܡܘܗ
l. 6	ܕܡܢܝܢܗܘܗ	ܕܡܢܝܢܗܘܗ

— In cod. *Borg.* omissa est nota marginalis quae adhuc legi potest in cod. *Vat.*, quamvis ultimae linearum litterae evanuerint. ܗܘܐ ܡܬܡܢܐ ܐܡܢܘܗ [ܕܡ] ܒ ܒܟܝܢ ܗܘܘ ܢ[ܦܫܐ] ܡܘܢܟܪܘܢܝܬ[ܐ] ܕܐܟܘܢ ܡܢܝ ܘܡܟ[ܢܝ] ܡܟܬܠܐ ܕܐܬܪܥܝܡ ܡܟܝܢ ܒܪܘܚܐ ܒܡܢܝ ܢܝܫܐ ܒ[ܘܡܢܐ] ܡܫܡܘܐ ܕܟܠ ܒ[ܟܠ] ܡܢܕܐ܀

— Ad l. 10. Nota omissa in *Borg.* referenda ad: ܦܩܕܐ ܕܦܩܘܕ ܟܗܢܐ ܕܝܠܗܘܢ ܦܩܕܐ ܕܦܩܘܕ ܟܗܢܐ... ܐܟܠܢ ܕܡ ܕܒܟܐ ܕܬܬܡܢܘܢ [ܟܠ] ܐܦܣ″ ܦܩܕ ܟܗܢ[ܐ]܀

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
l. 10	ܒܗܘܐ	ܒܗܘܐ

— Ad l. 11. Nota omissa in cod. Borg.: ܕܗܘܐ ܦܟܝܐ

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
l. 9 ab imo	ܘܕܐܡܪ	ܘܕܐܡܪ

— Ad l. 8 ab imo. Item: ܗܘ ″ܕܐܦܣ ܕܬܬܡ[ܢ] ܕܐܘ ܕܟܗܢܐ ܦܟܝܐ

Borg. syr. 57		Vat. syr. 51
l. 6 ab imo	ܐܘܡܝܐ	ܐܘܘܐ
l. 3 »	ܘܒܢܝܢܝܐ	ܒܒܢܝܢܝܐ
f. 81v l. 15	ܕܡܢ ܡܫܘܡܠܐ	ܕܐܬܡܫܘܡܠܐ
l. 17 (mendo)	ܒܡܩܦܐ	ܒܡܩܦܠܐ
l. 8 ab imo	ܒܘܢܘܬܐ ܡܠܐܟܐ	ܒܘܢܘܬܐ ܡܠܐܟܐ
l. 2 »	ܣܛܘܘܢ	ܣܛܘܘܢ
f. 82r l. 7	ܦܛܪܣܘܗ	ܦܛܪܣܐ
l. 9	ܡܩܣ	ܡܩܣ ܡܢ
l. 13 (mendo)	ܦܪܕܡܐ	ܦܪܡܐ
l. 6 ab imo	ܗܢܘܬܐ	ܗܢܘܬܐ
l. 3 »	ܒܗ	ܠܐ
f. 82v l. 4	ܢܒܐ	—
l. 14	ܐܠܗܘܢ ܡܢ	ܐܠܗܘܢ ܡܢ ܐܠܗܘܢ
»	ܕܐܣܝ	ܕܐܣܝܐ (Peš.)
l. 17	ܕܡܢ	ܡܢ (Peš.)
l. 9 ab imo	ܐܘܕܝ ܠܗܘܢ	ܐܘܕܝ

	Borg. syr. 57	Vat. syr. 51
f. 83r l. 1	ܘܐܬܡܠܟܘܢ	ܘܐܬܡܠܟܘ
f. 83v l. 4	ܦܘܪܥܢܐ	sing.
l. 6	ܗܘ̈ܝܐ	ܗܘ̈ܠܐ
l. 6 ab imo	ܒܪܚܡܝܗܘܢ	ܒܪ̈ܚܡܝܗܘܢ
f. 84r l. 1	ܡܢ (2°)	ܘܡܢ
l. 19	ܘܒܦܘܩܕܢܝܗܘܢ	ܘܒܦܘܩܕܢܗܘܢ
in fine	(ligatum)	ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܐܡܝܢ
f. 84v l. 1	ܗܘܐ	ܗܘ
l. 1-2	ܕܟܠܗ ܠܗ ܡܪܝܐ ܡܫܝܚܐ ܘܡܠܟܐ ܕܡܪܐ ܕܟܠ	—
l. 9	ܚܕܐ	ܚܕܐ ܚܕܐ (alterum abundat)
l. 11	ܪ̈ܘܚܐ	sing.
l. 14	ܡܢ	
l. 16 (mutilum)		ܘܚܪܡܐ
l. 17	ܘܢܦ̈ܫܬܐ	ܘܢܦ̈ܫܬܐ
l. 9 ab imo	ܡܬܟܬ̈ܒܝܢ	ܡܬܟܬܒܝܢ
f. 85r l. 11	ܟܠ (abundat)	(Item)
l. 6 ab imo	ܐܚܪܢܐ	ܐܚܪܢ
f. 85v l. 2	ܡܚܒ ܕܡܚܒ (mendo)	ܕܡܚܒ
l. 7	ܕܡܬܝܪ (mendo)	ܕܡܝܪ
l. 9	ܕܡܬܦܪܫܐ	ܕܢܬܦܪܫܐ
l. 13	ܐܚܪܢܐ	ܐܚܪܢ
l. 15	ܒܒܘܗܝ	ܒܒܘܘܗܝ
l. 8 ab imo	ܠܗܘܢ	—
f. 85r l. 10	ܘܗܘܝܢ	ܘܗܘ
l. 12	ܘܐܝܟ	—

INDEX

PAG.

Praefatio :